


SIGILLUM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG

DE

XII TABULARUM LEGE A GRAECIS PETITA.

QUAESTIONES PHILOLOGAE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGA
QUAM
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
IN
ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
SCRIPSIT

FRIDERICUS BOESCH
ILFELDENSIS.

GOTTINGAE
APUD DIETERICH (L. HORSTMANN)
MDCCCXCIII.

DE
XII TABULARUM LEGE A GRAECIS PETITA.


QUAESTIONES PHILOLOGAE.

DISSERTATIO

INAUGURALIS PHILOLOGA
QUAM
AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS
CONSENSU ET AUCTORITATE
IN
ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA
AD
SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES
RITE CAPESSENDOS
SCRIPSIT

FRIDERICUS BOESCH
ILFELDENSIS.

GOTTINGAE
APUD DIETERICH (L. HORSTMANN)
MDCCCXCIII.



De dissertatione probanda ad ordinem rettulit
Fridericus Leo prof.
Examen rigorosum habitum est die XXVII mens. Febr. a. h. s. XCIII.

PHILOLOGORUM BONNENSIUM ET

GOTTINGENSIUM SODALICIIS.



Argumentum.



Falsum est enim id totum, neque solum fictum sed etiam imperite absurdeque fictum; ea sunt enim demum non ferenda in mendacio, quae non solum ficta esse, sed ne fieri quidem potuisse cernimus.

Cic. d. republ. II. 15, 28.

De veterum testimoniis, quibus Romani priusquam decemviros crearent, legatos ad leges Solonis describendas Athenas misisse et in legibus scribundis ab Hermodoro quodam Ephesio adiuti esse dicuntur, quid sit iudicandum, quaeque omnino inter XII tabulas Solonisque leges intercedat ratio, magna adhuc cum inter philologos tum inter iurisconsultos est dissensio: multi, quaecumque veteres tradiderunt vera esse arbitrati, sine ulla dubitatione Romanorum legislatores dedita opera Graecorum exemplum respexisse, tabularumque leges haud paucas a Graecis petisse sibi persuadent; neque curant alios, qui quidem quae veteres tradunt negare non audeant, gravem tamen priorum errorem corrigant: neque enim novas leges a decemviris esse latas, sed veteres potissimum conscriptas et confirmatas; itaque si quid externi decemviri transtulerint, pauca tantum fuisse ac parva. Sed ne hi quidem carent vituperatione: nam si Romani — ut tradunt veteres — ad leges Solonis describendas et transportandas tres legatos Athenas miserunt, qui tertio demum anno cum atticis legibus redierunt, qui tum in decemvirorum numerum recepti sunt, decemviros legibus illis in paucis tantum et parvis esse usos haut ita videtur probabile; parum enim veterum sententiam intellegunt, qui legatos non tam ad leges transferendas quam ad universam reipublicae constitutionem noscendam missos esse dicunt. Hoc cum intellegerent, cumque Romanos ab externa gente sumpsisse leges parum putarent credibile, eo adducti sunt alii, ut veteres

prorsus neglegendos neque quicquam alieni romanis legibus tribuendum esse censerent, cum alii rursus diversas illas inter se sententias coniungere studerent. —

Quae cum ita sint, cum ne unus quidem sententiam suam probare potuerit, cumque qui hac de re egerunt, omnes in eo peccasse videantur, ut tantum quae quivis ipse facile inveniat proposuerint, fontibus accuratius investigandis operam non dederint — quod ne Steinhausenus quidem fecit, novissime qui rem enarravit*) — facile me veniam impetraturum esse spero, si quaestionem a multis iam vexatam denuo tractandam aggredior.

In qua instituenda cum eam fere omnes ingressi sint viam, ut primum quae veteres tradidissent recenserent, tum leges ipsas inter se compararent, ex his quid sequeretur exponerent, ne mihi quidem plane illa videtur neglegenda, cum vero quid de legibus ipsis sit statuendum plures iam recte viderint, de hac quidem parte pauca tantum disseram ac necessaria, quo pluribus agam de priore.

Initium tota quaestio capere debet a Ciceronis *de legibus* libro secundo, in cuius parte extrema primum in litteris romanis sententia illa, leges quasdam XII tabularum e Solonis legibus esse translatas nobis occurrit. Et quamvis hoc loco ipsius legationis expressis verbis mentio non fiat, tamen cum de legibus e Solone haustis agatur, illam quoque narrationem

*) Georg Steinhausen, *de legum XII tabularum patria* dissert. histor. Greifswald 1886; antea qui hanc quaestionem tractaverunt collegit idem pag. 1 sq; item M. Voigt, *die XII Tafeln.* Leipzig 1883. I pag. 10 Anm. Vetustiorum sententias paucis enarrant Lelièvre: *de leg. XII tab. patria.* Lovan. 1827 pag. 22 sqq, Cosman: *de orig. et font leg. XII tab.* Amstel. 1829 pag. 5 sq, recentiorum historicorum et iurisconsultorum Hofmann: *Beiträg. z. Geschicht. d. griech. u. röm. Rechts.* Wien 1870 pag. 2 sqq. Longum est iterum singulos afferre. Non praesto erat E. Lattes: *l'ambasciata dei Romani per le XII tavole.* Milano 1884; de quo cfr. Busolt: *griech. Geschichte II.* pag. 586. Anm. 1.

notam fuisse Ciceroni consentaneum est. Quam sententiam unde hauserit maxime nimirum nostra interest scire, et perop-portune quidem accidit hoc quaesituris, quod non ut in libro primo de universi libri fonte continuo quaeri necesse est: scribendi enim ratio a Cicerone usurpata ferebat ut liber totus e singulis constaret particulis, quae inter se non cohaererent, ita ut seorsum unaquaeque possit tractari.

Agitur enim hoc libro a Cicerone disserente cum Attico et Quinto de religione lege constituenda et confirmanda. Et quidem post exordium sumptum a loci, in quo ambulabant, natura laudanda (§§ 1—7) sequitur disputatio de aeternae ac divinae legis vi et natura (§§ 8—13), de qua eadem copiosius iam in libro antecedente erat disputatum; quam disputationem nihil nisi illius argumentationem breviter repetere ipsius Ciceronis verba satis significant: § 7. *ad eam partem sermonis ex qua egressi sumus, revertamur*, § 8. *videamus igitur rursus .. vim naturamque legis* et § 9. *aliquotiens iam iste locus a te tactus est*, ad quae Quinti verba conferas quaeso, quae exstant in libro primo 6.18; 7.22,23; 12.33; 15.42; 16.44; — Tum denique primi libri disputatione ita in memoriam revocata, ad legem de religione rogandam auctor transgreditur (§ 14), praemittit tamen Platonis, Zaleuci, Charondae exemplum secutus prooemium, quo de laude eius disserat (§§ 15 — 17); et haec quidem disputatio, qua opinionem de dominis omnium rerum ac moderatoribus deis veram esse et utilem demonstratur, tantam cum eis, quae Diodorus (XII. 20. 2. cfr. Stobaeus, Serm. XLIV pag. 279, ed. Gaisf. 2. 172) de Zaleuci prooemio affert, habet cognationem, ut illud si non ante oculos at certe in animo fuisse Ciceroni negari vix possit, quamquam se plane suum esse velle ipse confitetur (§ 17).*) Jam ipsa lex proponitur (§§ 18—23), e legibus Numae Romanorumque moribus ducta, cuius singula capita in reliqua libri parte explicantur, ita tamen, ut alia paucis tantum perstringantur, alia uberius

*) e Platone compara de leg. IV. pag. 720 f, prooemium legi nuptiali et X pag. 885 f. disputationi de cultu ac religione praemissum (imprimis pag. 887 b.); *unde apparet Quintum fratrem haec* (de Cicerone Platonis imitatore) *uberius quam verius dicere.* Moser.

exponantur (§ 24 usque ad finem libri): agit igitur de deis patriis caste adeundis (§§ 24. 25), de delubris in urbibus, lucis in agris habendis (§ 26), de larum religione servanda rituque patrum tuendo (§ 27), de illis, qui in numero deorum habendi sint (§§ 27. 28), de feriis festisque diebus rite celebrandis (§ 29), de sacerdotibus sacerdotumque muneribus et officiis, de auguribus imprimis (§§ 30—33); paucis occasione data usus tangit dissensionem ortam in augurum collegio inter Marcellum et Appium — *quorum in libros incidi* — de divinationis vi atque natura; pergit de iure belli haruspicumque religione (§ 34), de nocturnis sacrificiis mulierum (§§ 35—37), de ludis publicis cantu et tibiis celebrandis (§§ 38, 39), de minoris momenti praeceptis variis (§§ 40—44), de rebus non consecrandis (§ 45), tum denique de sacris perpetuis (§§ 46—53). Quae quaestio quoniam et ad pontificium ius et ad civile pertinet, causam dat disputandi de ratione, quae inter utrumque intercedat, atque disserendi de sacris privatis cum pecunia coniungendis, quae ipse a Scaevola didicerat, non ita descripta ab antiquis (§ 49).

Haec omnia igitur ita erant instituta, ut auctore, e quo sumerentur, non esset opus, neque ullam adhuc offendimus difficultatem. Restat de manium iure; et haec quidem pars, quoniam quae ad nostram quaestionem faciunt, continet, accuratius iam erit tractanda: neque insunt pauca, in quibus offendamus.

Initium huius capitis interiit, servata quae sunt ad religionem et ius sepulcrorum spectant, et in ultimo Ciceronianae legis capite: *sos leto datos divos habento, sumptum in ollos luctumque minuunto* explicando versantur, quamquam Ciceronem quam maxime ab his aberrasse videbimus. Haec cum eis, quae de manium iuribus nunc deperdita disputaverat, non artius fuisse coniuncta vel initium capitis XXII docet: *iam tanta est religio sepulcrorum,* quo ad nova se progredi luculenter declarat; cumque nihilo magis cum reliquo libro sint coniuncta, seorsum, ut dixi, ceteris omissis tractari possunt.

Incipit igitur (§ 55) a religione sepulcrorum, quae mortuum extra sacra et gentem inferri vetet, denicales commemorat, ferias appellatas, quia maiores defunctos in deorum

numero esse voluerint (quibus perstringit illa legis suae: *sos leto datos divos habento*), has suo tempore celebrandas esse monet finemque facit, omnia singula a se edisseri necesse esse negans, quibus et alia et haec adnumerat *quo tempore incipiat sepulcrum esse et religione teneatur.*

Quae secuntur (§ 56) prorsus alia in re versantur neque ullo modo cum his sunt coniuncta: *at mihi quidem antiquissimum sepulturae genus illud fuisse videtur, quo apud Xenophontem Cyrus utitur*; quae quid excipiant, quidque sibi illa *at mihi quidem* velint, non apparet. Ad nova igitur transiit Cicero, et res sane clara est: respicit Xenophontis Cyrop. VIII, 7. 25, ubi Cyrus decedens haec filiis suis mandat: *τὸ δ'ἐμὸν σῶμα, ὦ παῖδες, ὅταν τελευτήσω, μήτ' ἐν χρυσῷ θῆτε, μήτ' ἐν ἀργύρῳ, μήτ' ἐν ἄλλῳ μηδενὶ, ἀλλὰ τῇ γῇ ὡς τάχιστα ἀπόδοτε. τί γὰρ τούτου μακαριώτερον τοῦ γῇ μιχθῆναι, ἣ πάντα μὲν τὰ καλὰ πάντα δὲ τ'ἀγαθὰ φύει τε καὶ τρέφει; ἐγὼ καὶ ἄλλως φιλάνθρωπος ἐγενόμην καὶ νῦν ἡδέως ἂν μοι δοκῶ κοινωνῆσαι τοῦ εὐεργετοῦντος ἀνθρώπους* — ita ut quod genus Cyrus significet appareat, neque hoc Ciceronem fugisse, verba *redditur enim terrae corpus et ita locatum ac situm quasi operimento matris obducitur* demonstrant. Summo igitur iure miramur, quod pergit: *eodemque ritu . . . regem nostrum Numam conditum accepimus gentemque Corneliam usque ad memoriam nostram hac sepultura scimus esse usam.* Minime enim est idem ritus, eadem sepultura: neque enim hos ipsi terrae mandatos — de Cyro quod vidimus — sed in sarcophagis, qui dicuntur, esse conditos, de Numa quidem tradunt rerum scriptores*), de Corneliis vero ipsi sarcophagi nobis servati testantur. Ab antiquissimo igitur ad novum sepulturae genus Cicero delapsus est, quod tamen illi priori similius est, quam quae sequitur cremationi.

Quae secuntur excipiunt ea, quae de Corneliis sunt dicta, et explicant illud *usque ad memoriam nostram;* quamquam ne hic quidem sententiarum ordo, quem rei natura postulat, constanter servatus est. Videmus enim Ciceronem vo-

---

*) Cassius Hemina, Piso Censorius, Varro, Antias apud Plinium n. h. XIII. 13. 84 (*arca*), Plutarch. Numa cap. 22 (*λιθίναι σοροί*), Livius XXXX. 29. 3. (*lapideae arcae*), Valerius Maximus I. 1. 12, Lactant. inst. div. I. 22. 5.

luisse quidem dicere, Cornelios omnes usque ad Sullam fuisse humatos, illum demum, veritum ne suo corpori accideret, quod ipse fecisset Mario, primum e patriciis Corneliis igne voluisse cremari*) — peccasse autem in eo quod sententiarum ordinem plane inverteret: initium enim facit non a Sulla sed a Mario, quamquam huius fatum nulla alia de causa huc pertinet, nisi quod inde natum est Sullae illud consilium.

Maior in eis, quae secuntur, est perturbatio: nam verba, quae haec de Sulla dicta excipiunt: *dicit enim Ennius de Africano: hic est ille situs; vere; nam siti dicuntur, qui conditi sunt*, omnino non quadrant. Quid illud *enim?* neque enim Sullam e Corneliis primum igne esse crematum, neque ad hunc Cornelios omnes esse humatos Ennii versus probat. Neque si scribimus *etiam*, quod post Goerenzium commendat Madvigius**) (*Emendationes* pag. 76), quicquam proficimus — res eadem manet. Voluisse autem Cicero nihil aliud videtur, nisi a poeta testimonium petere, quo unum eumque optimum e Corneliis humatum esse probaret: quod recte facere si voluisset, et alio loco — antequam in Sullam incideret sermo — et alio modo erat afferendum, ac, ni fallor, dici oportuit: *vere igitur Ennius declarat de Africano . . . nam siti dicuntur* e. q. s.

Utitur tamen hac poetae verborum interpretatione ut nova adiungat: nam quod pergit *nec tamen eorum ante sepulcrum est, quam iusta facta et porcus* (*corpus* cdd.; corr. Luebbert) *caesus est*, de nullo sententiarum ordine cogitasse potest, nisi de hoc: *siti* et *conditi* quidem sunt, si terra sunt obruti, *sepulti* autem tum demum sunt et dicuntur, si e. q. s. Filum autem disputationis iam omisit ac facit, quod paullo ante se facturum esse negaverat: nam *quo tempore incipiat sepulcrum*

*) cfr. Plinius n. h. VII. 54. 187: *ipsum cremare apud Romanos non fuit veteris instituti; terra condebantur. at postquam longinquis bellis obrutos erui cognovere, tunc institutum; et tamen multae familiae priscos servavere ritus, sicut in Cornelia gente nemo ante Sullam dictatorem traditur crematus, idque voluisse veritum talionem, eruto C. Marii cadavere. sepultus vero intellegatur quoquo modo conditus, humatus vero humo contectus;* e Cicerone, ut videtur. — Crematum esse Sullam etiam Plutarchus (vit. Sull. cap. 38) tradit.

**) *non probabiliter* Vahlenus ad h. l.

esse exponit, qui idem hoc a se edisseri non necesse esse statuerat (§ 55).

Neque in proximis a pontificio iure digreditur: pertinent quae secuntur ad *humandi* vocis usum diversis temporibus alio sensu usurpatae: *et quod nunc communiter in omnibus sepultis venit usu ut* (*penitus* edd.; corr. Moser) *humati dicantur, id erat proprium tum in eis, quos humus iniecta contexerat;* sed ne haec quidem cum eis quae antecedunt — antecedit autem illa de religione sepulcri sententia — cohaerent, nisi Cicero haec illi *siti* vocis interpretationi adiungere voluit, ita: *siti* sunt qui conditi sunt, *humati* vero mortui non cremati, sed terra conditi. — Addit *eumque morem ius pontificale confirmat*; non ut videtur morem humatos dicendi eos *quos humus contexerat,* verum mortuos humo iniecta contegendi, morem igitur humandi. Illud igitur auctor voluisse videtur, ut e iure quoque pontificali unum humandi morem antiquis temporibus (cfr. *id erat proprium* **tum** *in eis*), in usu fuisse Romanis probaret, quod idem iam antea Numae et Corneliorum exemplo demonstraverat. Exspectamus igitur argumentum illud ex iure pontificio desumptum, neque Cicero hoc non vult reddere, pergit enim: *nam priusquam* e. q. s.

Et quamvis quae secuntur gravibus mendis sint inquinata, in animo scriptoris quod versabatur facile perspiciemus comparato loco Varroniano, qui ad eandem rem pertinet; haec enim exstant de l. l. V. 9. pag. 33. Sp. (qui liber decennio fere post Ciceronis de legibus libros est conscriptus): *et quod terra sit humus, ideo is humatus mortuus qui terra sit obrutus*; *ab eo quom* (con. Mueller) *Romanus combustus est, si* (add. Turneb.) *in sepulcrum eius abiecta gleba non est, aut si os exceptum est mortui ad familiam purgandam, donec in purgando humo est opertus* (*ut pontifices dicunt, quoad inhumatus sit*) *familia funesta manet.* — Nam si pontifices ut in cremati quoque sepulcrum gleba iniceretur praecipiebant, quod si non fiebat, *inhumatum* mortuum dicebant, si quoad os cremati resectum supra terram exstabat, familia funesta manebat — facile sequebatur humandi morem antiquiorem fuisse et genuinum, pontificum praecepta, religio ne laederetur, inde translata esse ad cre-

mationem. Recte igitur Cicero: *cumque morem*) ius pontificale confirmat.*

Locum ei quem attuli, prorsus similem Cicero ante oculos habuisse putandus est; neque enim solum in eis quae secuntur cum Varrone congruit, in eo etiam consentiunt, quod uterque ab *humandi* voce interpretanda initium facit. Sed cum Varro ob eam tantum causam haec afferret, ut *humandi* vocis usum proprium explicaret, Ciceronem non de *humandi* voce sed more agere voluisse eumque antiquiorem fuisse demonstrare ex ipsius verbis conclusimus. — Pergit autem: *nam priusquam in os iniecta gleba est, locus ille, ubi crematum est corpus, nihil habet religionis; iniecta gleba tum et illis humatus est, et sepulcrum vocatur ac tum denique multa religiosa iura complectitur**).* Satis igitur habet protulisse ea, quae in Varronis loco invenimus, neque vero ex his quod exspectamus, quodque promiserat, colligit: non iam id spectare videtur ut quod proposuerat probet, quamquam argumentum illud, quod postulamus, his continetur, sed ut demonstret, quo tempore in crematis *incipiat sepulcrum esse et religione teneatur:* iterum igitur ad illa, quae se neglecturum esse professus erat, revertitur et excipit quae antea de conditorum sepulcro disputaverat. Cumque hoc de religione sepulcrorum ei sit maximum, recte ea quoque, quae secuntur, adiunguntur: *itaque in eo* .., quibus exponuntur, quae P. Mucius pontificum rationem antea expositam secutus de eo qui in nave necatus in mare proiectus esset aut in ipso mari perisset, decreverat.

Jam ad finem aliquem disputationis nos esse perductos Attici verba *video quae sint in pontificio iure, sed quaero ecquidnam sit in legibus* demonstrant; quibus si fidem habemus, ea in his omnibus Ciceronis fuit ratio, ut iuris pontificalis de

---

*) Qua vi *moris* vocem usurpaverit Cicero docent verba 25. 63: *nam et Athenis iam ille mos a Cecrope ut aiunt permansit, corpus terra humandi.*

**) In loco corruptissimo restituendo Vahlenum secutus sum, nisi quod illius coniecturam *mortuus* pro *et illis* amplecti nequeo; pontifices hoc in enuntiato aperte significari necesse est, idque fieri verbo *illis*, sc. pontificibus, quem dativum esse volo, persuasum habeo.

sepultura praecepta quae exstarent, summatim exponeret; et singula, quae tractavimus, si respicimus, tota disputatio re vera in iure pontificio versabatur, exceptis illis *at mihi quidem* e. q. s. usque ad Ennii versum explicatum. Sed haec ipsa neque cum antecedentibus neque cum sequentibus cohaerere vidimus: Ciceronem igitur, quem libros de legibus neque perfecisse neque edidisse scimus, aliunde illa inseruisse, neque tamen ut in libro inperfecto cum reliqua disputatione coniunxisse iudicabimus.

Et quidem frustula sunt disputationis, quae de variis erat sepulturae generibus; quod vel initium probat: nam qui incipit: *at mihi quidem antiquissimum sepulturae genus . . videtur*, eum de recentiorum quoque temporum usu acturum esse necessario omnes colligimus. Et quamquam a Cicerone sententiarum ordinem quam maxime perturbatum esse vidimus, qualem sepulturae historiam ante oculos habuerit ne nunc quidem latet: antiquissimis temporibus mortui terrae mandabantur, ut Cyrus Xenophonteus, postea condebantur in sarcophagis, ut Numa et Cornelii, tum cremabantur, quem potissimum morem a Romanis fuisse receptum vel quae de Corneliis enarrantur significant.

Attico, ecquidnam sit in legibus quaerenti, pauca esse neque ignota, quae tamen non tam ad religionem quam ad ius sepulcrorum pertineant Cicero respondet: traducit igitur disputationem a iure pontificio ad ius civile, quod idem in quaestione de sacris perpetuis fecerat seque in manium quoque iure facturum esse promiserat (§ 46). E legibus quae duodecim tabulae de sepultura sanxerant promit, earumque tabulam decimam (§ 64) fere integram proponit, eadem usus ratione, quam in sua lege explicanda erat secutus alia leviter perstringens, alia uberius tractans.

Una est tabula, una itaque disputatio: desunt ergo difficultates, quales antea offendimus. Prima sane lege, quae in urbe quemquam sepeliri aut uri vetat, proposita, quique hac soluti sint commemoratis, facere non potest, quin ad pontifices a proposito revertatur: *sed ut in urbe sepeliri lex vetat, sic decretum a pontificum collegio, non esse ius in loco publico fieri*

sepulcrum, quod decretum narratiuncula addita explicat — in reliquis vero non iam a XII digreditur. Pergit ad ea, quae minuendi sumptus lamentationisque muliebris causa constituerant, *translata*, ut dicit, *e Solonis fere legibus*, commemorat legem de rogo non poliendo, de sumptu tribus riciniis, uno clavo*) purpurae, decem tibicinibus extenuando et pluribus commoratur ea in lege, lamentatio qua tollitur: *mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento.* Dubitabatur enim de *lessi* voce interpretanda, cum veteres XII tabularum interpretes Sex. Aelius et L. Acilius se non satis quidem hoc intellegere confiterentur, suspicari vero vestimenti aliquod genus funebris, L. Aelius contra *lessum* quasi lugubrem eiulationem interpretaretur. Quae Aelii sententia ut verbi ipsius interpretatione nititur (*ut vox ipsa significat*), ita Ciceroni eo magis videtur vera, *quia lex Solonis id ipsum vetat.* Tum cetera adiungit tabulae praecepta, quae item de luctu sumptuque tollendo sunt aut etiam de ipsis sepulcris, paucis suo loco interpositis verbis, quibus singula aut coniunguntur aut explicantur, et ultima lege proposita ad finem disputationis se pervenisse iterum ipse significat: *haec habemus in XII, sane secundum naturam, quae norma legis est, reliqua sunt in more* — et addit nonnulla quae non lege praescripta, verum more recepta erant, quamquam nemo haec ab eo postulaverat.

Rursus Attici verba ad nova traducunt: *gaudeo*, inquit, *nostra iura ad naturam accommodari maiorumque sapientia***) *admodum delector*; *sed cedo****) *ut ceteri sumptus sic etiam sepul-*

---

*) Lectionem quam Schoellius (*XII tab. reliq.* pag. 56) proposuit, amplexus sum; quam rectam esse quamquam affirmare non audeo, rectior certe est, quam quae a Turnebo prolata etiam Vahleno placuit, sc.: *tunicula*, vel *tunicla*, quod Muellerus praefert; neque enim de quarta veste a Solonis lege aliena cogitari potest. vide legem in Cea insula repertam (*Mitt. d. ath. Inst.* I (1876). pag. 139. Z. 1—6) et Plut. Solon. cap. 21.

**) Vide quam bene maiorum illa sapientia translatione legum sit comprobata! neque melius verba *gaudeo nostra iura ad naturam accommodari* aut *haec habemus in XII sane secundum naturam* cum legibus ab aliena gente translatis congruunt.

***) *Recedoquiro* cdd.; corr. Leo; nimirum quod sequitur *recte requiris* causam dabat verbi iterandi. cfr. de fin. II. 25: *sed cedo caput ce-*

crorum modum. Requirit igitur praecepta de modo in ipsis sepulcris adhibendo; quod cum Cicero quoque probet: *recte requiris*, ea iam, opinor, sequentur. Neque proxima a tali consilio abhorrent: olim quidem istius rei minimam fuisse videri cupiditatem, pauca enim maiorum exstare exempla; sed moribus mutatis recte ab Attico talia praecepta desiderari, suaeque legis interpretibus id intellegendum esse imprimis, sepulcrorum magnificentiam esse minuendam, neque a sapientissimis legum scriptoribus *haec* esse neglecta. Quae tandem? dicemus, sepulcrorum magnificentiam esse tollendam; iam igitur illa sequentur. Plurimum vero abest, ut hac de re, quam totiens sibi proposuit tractandam, disserat. Sane, quod pergit: *nam et Athenis iam ille mos*) a Cecrope ut aiunt**) permansit corpus terra humandi; quod (quam* edd.; corr. Turnebus) *quom proximi fecerant, obductaque terra erat, frugibus obserebatur, ut sinus et gremium quasi matris mortuo tribueretur, solum autem frugibus expiatum ut vivis redderetur,* non vitupero, excepto eo, quod quid illud *nam et* excipiat, non apparet: regredi potuit ad verba *minimam olim* e. q. s. atque inde disputationis capere initium, ut ostenderet apud Graecos quoque antiquissimis temporibus sepulcra non fuisse in usu, ob eamque causam tales leges non necessarias. Quod vero pergit, *sequebantur epulae, quas inibant propinqui coronati* e. q. s. usque ad *iusta confecta erant,* hoc non iam illum curare apparet: a sepulcris ad universam funerum magnificentiam delabitur, et adiungit quidem disputationem non minus continuam quam illam de

nae; de nat. deor. I. 75: *cedo mihi istorum adumbratorum deorum lineamenta atque formas*; pro Sestio 108, all.

*) Codicum scripturam e *iam illo mores* correctam, ab Halmio aliis receptam ego quoque secutus sum; de qua quamvis dubitari possit, certe *hoc ius* quod pro *corpus* habent libri a Vahleno probatum, falsum est: genera sepulturae nihil ad ius. *corpus* recte emendatum videtur.

**) Non assentior Vahleno, qui *a Cecrope, ut aiunt* proverbii locum obtinere putat eadem plane vi ac si esset dictum: ab antiquissimis temporibus. Sine dubio haec Ciceronis coniungenda sunt cum eis, quae de Cecropis in arce sepulcro tradita habemus. cfr. Clem. Alex. Protr. III. 45. pag. 39: *Ἀθήνησι δὲ ἐν ἀκροπόλει τάφος ἐστὶ Κέκροπος, ὥς φησιν Ἀντίοχος ἐν τῷ ἐνάτῳ τῶν ἱστοριῶν.* cfr. Arnob. adv. nat. VI. 6. Theodor. Therap. VIII pag. 597 D; quos locos Davisius primus comparavit.

XII tabularum lege, quae tota in Graecis versatur ac temporum ordine servato omnia, quae Graecorum legislatores a Solone usque ad Demetrium Phalereum de sumptu luctuque in funeribus minuendo sanxerant, proponit.

Et antiquissimae quidem aetatis simplicitate laudata ad Solonem pervenit: *posteaquam, ut scribit Phalereus, sumptuosa fieri funera et lamentabilia coepissent, Solonis lege sublata sunt; quam legem eisdem prope verbis nostri decemviri in decimam tabulam coniecerunt; nam de tribus riciniis et pleraque illa Solonis sunt, de lamentis vero expressa verbis sunt: mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento.* Suo igitur loco ad Romanorum leges e Solone translatas redit, quaeque antea (§ 59) decimae tabulae interpretationi quasi praeteriens inseruerat, nunc (§ 64) apte arteque cum Solonis lege coniuncta repetit, ita ut quid de illis sit iudicandum iam appareat: illo loco quasi praeoccupata sunt, quae progrediente sermone uberius erant afferenda, hic stant suo iure.

His de sumptu luctuque duas de sepulcris leges addit, quae bustum aut monimentum violari aut alienum inferri vetant, initium capiens: ***de sepulcris** vero* e. q. s. quasi ad Attici verba redire in animo habeat — transgreditur ad ea, quae aliquanto post Solonem propter amplitudines sepulcrorum de modo cum in sepulcro faciendo et exornando tum in laudibus mortui efferendis adhibendo, de virorum ac mulierum celebritate tollenda erant lata; eandem illam funerum sepulcrorumque magnificentiam denuo increbuisse Demetrio auctore *) (*sed ait rursus idem Demetrius*) commemorat, et illius ipsius lege, qua sumptum minuit **) sepulcrisque novis modum statuit, allata, finem facit: *haec igitur Athenienses tui.* Quae verba plane respondent eis, quae supra attulimus: *haec habemus in XII.*

---

*) Demetrius in libro περὶ τῆς Ἀθήνησι νομοθεσίας haec tractasse videtur. cfr. Brückner: *Archäolog. Anzeiger.* 1892. pag. 23.

**) Quae Cicero hac de re profert: *sumptum minuit non solum poena sed etiam tempore, ante lucem enim iussit efferri* Demetrium suis in legibus Solone innixum esse docent. cfr. Solonis legem apud (Demosth.) adv. Macart. pag. 1071: ἐκφέρειν δὲ τὸν ἀποθανόντα . . . πρὶν ἥλιον ἐξέχειν.

Tum Platonis de sepulcris sententia adiungitur, ac liber confectus est.

Si omnia, quae adhuc tractavimus, uno sub conspectu ponimus, fontesque quaerimus — eis, quae de iure pontificio deque more in funere servando de suo — ut videtur — inseruerat, neglectis — ex eis quae restant, illam de XII tabulis disputationem cum ceteris non coniunctam facile segregare possumus. Quae pars ut una est et continua — nisi quod illa de Solone aliunde sumpta inserta sunt — ita ab uno auctore originem ducit. Ciceronem enim, quamquam puer XII tabulas didicerat (§ 59), haec e sua memoria hausisse aut nihil nisi legis ipsius exemplar inspexisse ceteraque de suo addidisse et pariter est incredibile et argumentis refutari potest: In paragrapho enim sexagesima lex de coronis mortuo imponendis*) his verbis circumscribitur: ***illa iam significatio est laudis ornamenta ad mortuos pertinere, quod coronam virtute partam et ei qui peperisset et eius parenti sine fraude esse lex impositam iubet***; eandem legem et uberius quidem laudat Plinius n. h. XXI. 5. 7: ***namque ad certamina in circum per ludos et ipsi descendebant et servos suos equosque mittebant; inde illa XII tabularum lex: qui coronam parit ipse pecuniave eius, honoris*** (add. Schoell. l. l. pag. 80 sq.) ***virtutisve ergo arduitur ei; quam servi equive meruissent, pecunia partam lege dici nemo dubitavit. Quis ergo honos? ut ipsi mortuo parentibusque eius, dum intus positus esset forisve ferretur, sine fraude esset imposita.*** Miram esse inter hos locos similitudinem, eamque nisi eundem auctorem et Cicero et Plinius secuti sint, explicari non posse iam Schoellius animadvertit.**) Alterum argumentum praebet locus de fori bustique usucapione (§ 61), quo Cicero *forum* quasi *vestibulum sepulcri* interpretatur: eandem enim interpretationem praebet Paulus ex Festo s. v. *forum*

*) Schoell. l. l. pag 80 sq. 155 ita eam restituit: ***qui coronam parit ipse pecuniave eius honoris virtutisve ergo, si arduitur ei parentique eius, se fraude esto.***

**) Schoell. l. l. pag. 11.

(pag. 84 M.): *forum sex modis intellegitur, primo — alio — tertio — quarto, cum id forum antiqui appellabant, quod nunc vestibulum sepulcri dicari solet.* Quod e Cicerone fluxisse cum sumi nequeat, hac quoque re ad communem auctorem reducimur. —

Quem ut interpretem aliquem legis fuisse statuamus necesse est, ita eum fuisse dicemus, qui grammaticae potissimum interpretationis rationem habuerit: vestigia apud ipsum Ciceronem servata haec docent; vide quae profert de *sepeliendi* et *urendi* verbis (§§ 58. 60), de *lesso* (§ 59) et de *foro* (§ 61) interpretandis, quibus convenit etiam illa vocis *pecunia* apud Plinium interpretatio.*)

Atque de nomine eius nos dubitare locus ille de *lesso* interpretando non patitur: nam cum Ciceronem Sex. Aelii aut L. Acilii interpretatione usum esse negandum sit,**) tertius quem laudat restat, apud quem ut iuniorem veterum quoque sententias invenire potuit: L. Aelius Stilo,***) cuius ipse fuerat discipulus (Cic. Brut. 205).

Neque quae de Plinio et Festo****) protulimus contra faciunt, quamquam Plinii verba non ad ipsum Aelium referri posse concedendum est; neque enim L. Aelius inter huius libri XXI auctores a Plinio nominatur. Sequitur tamen nihil aliud nisi Plinium ex tertio aliquo auctore hausisse, qui ipse Aelio sit usus — et hunc fuisse Varronem Aelii discipulum facile apparebit: Varronis enim nomen in indice auctorum secundo loco exstat, post Catonem, et sequitur haec de coronis disputatio locum e Catone desumptum (cap. 1).

His (§§ 58—61) ita ad Aelium revocatis, e tota disputatione adhuc restant §§ 56. 57 init. et 62—66, quae sine dubio artius cohaerent. Utraque pars in sepulturae historia ver-

*) Schoell. l. l. pag. 11.

**) Schoell. l. l. pag. 27.

***) de hoc vide Schoell. l. l. pag. 26 sqq.

****) Ex Aelii XII interpretatione hausta est Festi glossa ad *sonticum morbum* pag. 290 M. cfr. Schoell. l. l. pag. 26. 28 sq. 65.

satur: haec leges de sumptu luctuque in funeribus minuendo cum apud Graecos tum apud Romanos latas sub conspectu ponit et inter se confert*), illam de sepulturae variis generibus disputare velle vidimus — utraque ab antiquissimi temporis institutis initium capit inde ad posteriora transiens. Porro si recte supra codicum scripturam secuti sumus, manifesto haec illam respicit: cfr. § 63 *nam et Athenis iam ille mos* e. q. s.; quin etiam eadem fere verba utroque loco repetuntur: § 56 *redditur enim terrae corpus et ita locatum ac situm quasi operimento matris obducitur* et § 63 *ut sinus et gremium quasi mătris mortuo tribueretur.*

Itaque non errare nos arbitror, si ad unum ista auctorem referimus, qui de usu sepulturae cum apud Graecos tum apud Romanos egerit, et utriusque gentis instituta ac leges inter se contulerit.

Restat ut quis ille auctor fuerit, quaeramus; quod difficilius fortasse videtur, neque vero est: Cicero pauca quidem docet, sed certa.

Primum neque philosophum merum illum fuisse neque historicum vix est cur moneam, antiquitatum investigatorem res ipsae significant — neque inter admodum obscuros illum fuisse vel inde sequitur, quod Cicero eo est usus. Neque minus certum videtur illum fuisse Graecum: uberior est in Graecis quam in Romanis, utitur Demetrio Phalereo, Solonis leges graeco sermone laudat (cfr. 64: *bustum, nam id puto appellari τύμβον*). — Accedit quod est gravissimum, de aetate eius nullam esse posse dubitationem; Sullam enim primum e patriciis Corneliis igne esse crematum enarrat (§ 56): quicumque igitur fuit, post Sullae eum scripsisse mortem sequitur. — Haec Cicero. Iam opus est coniectura: Scimus autem studia eorum, qui Graecorum et Romanorum instituta compararent et haec ex illis derivarent, Panaetio imprimis eiusque discipulis auctoribus orta esse et aucta. Infra alia in quaestione accuratius hoc videbimus de Polybio; quod de illo valet, idem valet de Posidonio. Unum sufficit

*) Hac demum comparatione Cicero adducebatur, ut decimam illam tabulam insereret.

protulisse locum quo ut ab illo (Polyb. VI. 25. 11 = Cic. de republ. II. 16. 30) sic ab hoc quoque ob id ipsum laudantur Romani, quod quamvis diligenter maiorum instituta servaverint, multa tamen ab externis etiam gentibus transtulerint: Athen. VI. pag. 273e: *συνετῶν γάρ ἐστιν ἀνδρῶν, ἐμμένειν τοῖς παλαιοῖς ζηλώμασιν . . . . λαμβάνοντες ἅμα τοῖς δοριαλώτοις καὶ εἴ τι χρήσιμον καὶ καλὸν ὑπῆρχε παρ' ἐκείνοις εἰς μίμησιν· ὅπερ ἐν τοῖς πάλαι χρόνοις ἐποίουν οἱ Ῥωμαῖοι· διαφυλάττοντες γὰρ ἅμα καὶ τὰ πάτρια, μετῆγον παρὰ τῶν χειρωθέντων εἴ τι λείψανον καλῆς ἀσκήσεως εὕρισκον, τὰ ἄχρηστα ἐκείνοις ἐῶντες, ὅπως μηδ' εἰς ἀνάκτησιν ὧν ἀπέβαλον ἐλθεῖν ποτε δυνηθῶσι*, cuius rei varia adduntur exempla*).

In Panaetii et Polybii discipulis igitur Ciceronis quoque auctorem requiremus, et ut quid sentiam dicam: ipse Posidonius ille mihi fuisse videtur; unus enim est, in quem quae quadrare debent, omnia quadrent. Floruit post Sullam, erat — ut Strabone utar — *ἀνὴρ τῶν καθ' ἡμᾶς φιλοσόφων πολυμαθέστατος* (XVI. pag. 753), scripta eius omnium tum erant in manibus, Cicero ipse eum audierat (de nat. deor. I. 3. 6.) eoque familiariter utebatur (de fin. I. 2. 6.); scimus praeterea illum in historiis suis a rebus gestis enarrandis digredientem multa inseruisse**) et de populorum variis institutis ac moribus disserere quam maxime esse solitum***); cfr. Athen. IV.

*) Quamquam hoc loco diserte Posidonii mentio non fit, tamen quin ad illum redeant, non est dubium, neque enim haec secerni possunt a ceteris, quae hoc loco de Romanorum moribus proferuntur; cetera autem omnia e Posidonio sunt desumpta: 272.e: *Ποσειδώνιος γοῦν, οὗ συνεχῶς μέμνημαι*; 273b: *ὡς ἱστορεῖ Πολύβιος καὶ Ποσειδώνιος*; 274a: *ὥς φησι Ποσειδώνιος*; 275a: *φησὶν ὁ Ποσειδώνιος*; et quae in fine huius disputationis leguntur (273f.) *μιμησάμενοί τε κατὰ πάντα τὴν Λακεδαιμονίων πολιτείαν διετήρησαν αὐτὴν μᾶλλον ἢ ἐκεῖνοι*, Polybii sectatorem aperte significant.

*) Velut *de Pythionices funere*. Ath. XIII. pag. 594e = Müller *F. H. G.* III. pag. 259. frgm. 22. cfr. Scheppig, *de Posid. Apam. rer. gent. terr. script.* Halle 1869 pag. 26; — *de Marcello*: Plut. Marc. 1 = M. frg. 43; Fab. Max. 19 = frg. 44; Marc. 19. 20 = frg. 45; ib. 30 = frg. 46. cfr. Scheppig. l. l. pag. 38, qui haec e libro *περὶ ὠκεανοῦ* desumpta esse credit. —

**) Satis habeo revocasse ad ea, quae egregie disputavit Muellenhoff, *Deutsche Altertumskunde II.*

pag. 151. e. Ποσειδώνιος δὲ ὁ ἀπὸ τῆς στοᾶς ἐν ταῖς ἱστορίαις, αἷς συνέθηκεν οὐκ ἀλλοτρίως ἧς προήρητο φιλοσοφίας πολλὰ παρὰ πολλῶν ἔθιμα καὶ νόμιμα ἀναγράφων. Quae cum ita sint, Posidonium talem quoque de sepultura tractatum aliquo loco de Romanorum moribus agentem inseruisse, et hoc usum esse Ciceronem mihi quidem videtur probabile, quamquam qua occasione ille ad haec excurrerit, diiudicari nequit; cogitari plura possunt, fortasse, quo ipsis verbis adducimur, cum Sullae mortem enarraret — si modo usque ad hanc progressus est*) — aut cum de Marii fatis dissereret, fortasse denique cum in Africani vel alius Corneliorum mortem sermo incideret.

Non premo hanc de Posidonio coniecturam quamvis videatur probabilis, modo id concedatur, ad eum haec redire auctorem, qui non ante Sullam scripserit; cui rei quantum insit momenti progrediente sermone apparebit, simul quod hic invenimus aliis quoque causis probari videbimus.

Sed plura sunt, quae Ciceronis verba docent. Ut ipse profitetur, leges decimae tabulae fere omnes Solonis erant, una autem illa de lamentatione tollenda: *mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento* expressa etiam verbis erat (§ 64). Jam veteres XII tabularum interpretes Sex. Aelius et L. Acilius se locutionem non satis intellegere confessi *lessum* quasi vestimenti aliquod genus funebris interpretabantur: cum igitur legi vim tribuerint a Solone prorsus alienam, se Graecorum legis rationem non habuisse demonstrant.**)

*) De Suidae verbis ἕως τοῦ πολέμου τοῦ Κυρηνακικοῦ καὶ Πτολεμαίου, quae ad finem historiarum Posidonii spectant, quid iudicaverint viri docti, qualemque ipsi posuerint terminum, vide apud Scheppig. l. l. pag. 27. sqq. — adde Muellenhoff l. l. pag. 126 sq., Arnold, *Jahrbb. f. Phil. Suppl. N. F.* XI (1884) pag. 75 sqq. Fragmentis ($^{40}/_{41}$) usque ad annum $^{87}/_{6}$ deducimur, sed haec nihil probant: hae quoque res in excursu aliquo enarrari poterant. Ut nunc res se habet, Sullae illum enarrasse mortem neque probari potest neque negari.

**) cfr. Steinhausen l. l. pag. 8.

Tertius ille, L. Aelius Stilo, num Solonis leges contulerit similesque esse romanis animadverterit, hoc uno quidem loco diiudicari nequit:*) quae enim de Solonis lege secuntur, a Cicerone verbis Aelii addita esse vidimus, Aeliumque ipsius verbi interpretatione ad veram *lessi* notionem esse deductum ipse profitetur (*ut vox ipsa significat*).

Hanc quaestionem ut solvamus, altius repetamus necesse est atque redeamus ad Ciceronem.

Hunc enim ante libros de legibus conscriptos huius rei mentionem non facere, mirum non esset, nisi identidem tabulis decemvirorum Solonis leges opponeret, et ita quidem, ut has ex illis esse translatas paene coactus fuisset commemorare, modo cognitum habuisset, nisi aliis item locis multus esset de Romanorum variis institutis cum Graecorum moribus comparandis.

Sed videas quaeso, quae profert in orationis pro Roscio Amerino anno 86 habitae paragrapho sexagesima nona, ubi parricidium, si convincatur, eo magis vindicandum esse declarat, quo minus, nisi causa sceleris ostendatur, sit credibile: *itaque cum multis ex rebus intellegi potest, maiores nostros non modo armis plus quam ceteras nationes, verum etiam consilio sapientiaque potuisse, tum ex hac re vel maxime, quod in impios singulare supplicium invenerunt. Qua in re quantum prudentia praestiterint iis, qui apud ceteros sapientissimi fuisse dicuntur, considerate. Prudentissima civitas Atheniensium, dum ea rerum potita est, fuisse traditur, eius porro civitatis sapientissimum Solonem dicunt fuisse, eum qui leges, quibus hodie quoque utuntur scripsit . . . . Sapienter fecisse dicitur . . . . Quanto nostri maiores sapientius!*

Haec non dicit, qui decemviros legatos Athenas misisse, qui leges XII tabularum e Solone translatas esse sciat, non dicit eis, quos tale aliquid cognitum habere credat. — Neve contra dixeris, locum esse oratoriae plenum dictionis, quo, maiorum sapientiam ne minueret, talia omittere debuerit: immo hac ipsa re magis eam potuit extollere, rem — ut aliquid fingam — ita vertens: hac in re quantum praestiterint maiores ceteris legislatoribus, quantum prudentissimae civitatis sapien-

*) Sequi videtur ex hoc loco Steinhauseno l. l. pag. 12.

tissimo Soloni considerate! Quamquam Athenis leges eius afferri iubebant, quamquam alia ex illis transtulerunt — hac in re quanto sapientius!

Sed hoc loco rem tangere uoluit, fortasse non meminit. Alium igitur in medium vocemus locum, qui est de orat. I. 197: Crassus oratori iuris civilis scientiam necessariam esse explicans, eos vituperat, qui talia studia neglexerint; quod eo magis sit reprehendendum, cum ista iuris cognitio minime magna sit aut difficilis, praesertim cum accedat mira quaedam in cognoscendo suavitas et delectatio. Quod ut probet, et alia affert et haec (§ 197): *Percipietis etiam illam ex cognitione iuris laetitiam et voluptatem, quod quantum praestiterint nostri maiores prudentia ceteris gentibus, tum facillime intellegetis, si cum illorum Lycurgo et Dracone et Solone nostras leges conferre volueritis. Incredibile est enim, quam sit omne ius civile praeter hoc nostrum inconditum ac paene ridiculum.*

Quivis, credo, intelleget, ne haec quidem cum scriberet, similitudinem illam Ciceroni innotuisse, nam si maiorum sapientiam ne minueret, metuebat, hoc quoque loco licebat, quod de superiore statuimus.

Sed Crassus, qui Romanorum prudentiam ceteris omnibus et maxime Graecis anteponit (Cic. l. l.), consulto haec omisit: sequitur Antonii disputatio, qui iurisprudentiam oratori minime esse necessariam probare, singulaque quae pro ea Crassus disputaverat refutare studet. Ultimam illam Antonii rationem quomodo melius potuerit refutare, quam si illum de decemvirorum legatione, de legibus ab aliena gente translatis admonuisset, uescio. Nihil tamen hac de re, ubi sic ad illam respondet (§ 247): *tum autem, quod amore patriae censes nos nostrorum maiorum inventa nosse debere, non vides veteres leges aut ipsas sua vetustate consenuisse, aut novis legibus esse sublatas?*

Comprobatur igitur hoc libro, quod supra de orationis loco statuimus. Nam quae exstant in oratione pro Flacco anno 59 habita (26. 62): *adsunt Athenienses, unde humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortae atque in omnes terras distributae dicuntur,* ad nos nihil facere elucet.*) Athenas

*) Argumentum sumit ex his Hofmann l. l. pag. 10, quem non recte refutat Steinhausen l. l. pag. 14.

enim *illas omnium doctrinarum inventrices***) primas legibus quoque esse usas, easque ceteris tradidisse non aliter ac fruges a Triptolemo inventas, notum est ac pervulgatum, neque aliud quicquam Cicero in animo habuit. Prorsus idem valet, quod in initio libri sexti dicit Lucretius (vv. 1—3):

> *primae frugiparos fetus mortalibus aegris*
> *dididerunt quondam praeclaro nomine Athenae*
> *et recreaverunt vitam legesque rogarunt,* —

quam eandem sententiam antea apud Isocratem invenimus IV. 39: πρώτη γὰρ καὶ νόμους ἔθετο καὶ πολιτείαν κατεστήσατο, et XII. 124: πρώτους (Ἀθηναίους) δὲ καὶ πόλιν οἰκήσαντας καὶ νόμοις χρησαμένους; — Ceterum si voluisset Cicero, etiam hoc loco legum translatarum apte mentionem inicere potuisset.

Si quae restat adhuc dubitatio, tolletur eis quae profert non minus quam quae non profert in libro de republica secundo, paululo ante libros de legibus confecto, quo rempublicam romanam qualis sit et optimam esse ostensurus, historiae Romanorum narrationi e Polybio desumptae iniungit atque immiscet Panaetianam de optimae civitatis constitutione, de formarum rei publicae naturali cursu et circuitu doctrinam.**)

Ratio libri atque consilium, auctores denique quos sequebatur efficiebant ut semper Graecorum mores et instituta respiceret, cum romanis conferret, haec ex illis derivaret; omitto, quod in initiis romanae rei publicae enarrandis omnia fere ad Lycurgi exemplum referuntur (§§ 15; 24; 42; 43; 50; 58), quod optimum illud rei publicae genus ex tribus simplicibus pariter mixtum Romanis et Lacedaemoniis commune fuisse rursus atque iterum ostenditur: haec enim non tam

---

*) Cic. de orat. I. 4. 13; cfr. ad fam. VI. 1. 6: *quod et in urbe ea es, ubi nata et alta est ratio ac moderatio vitae.* Similiter sunt dicta: Brut. 10. 39: *in ea ipsa urbe, in qua et nata et alta sit eloquentia,* Plaut. Stich. 649: *salvete Athenae quae nutrices Graeciae.* — in universum cfr. Isocrat. XV. 295. — Addi hic posse censeo locum qui exstat Just. I. 2. § 10. *Inst. de iur. nat. et gent. et civ.: origo eius* (iuris civilis) *ab institutis duarum civitatium Athenarum scilicet et Lacedaemonis fluxisse videtur,* — quem item nonnulli ad leges a decemviris translatas referunt!

**) cfr. Leo: *Miscella Ciceroniana* (ind. lect. Gotting. 1892) pag. 12 sqq., apud quem ceteros quoque laudatos invenies.

translata sunt quam orta natura, et simili quadam utrinsque gentis indole explicanda, neque altera illa deest sententia, qua Graeci ad Romanorum instituta haud parum contulisse, Romani multa ab illis de industria transtulisse putantur. Sic, summas res ut attingam, lex a Servio de viduis et orbis lata ad Corinthios refertur (§ 36), sic quo tempore primum *insitiva quadam disciplina doctior facta* sit civitas, disputatur (§§ 28/29, 34), fusius quomodo Tarquiniis auctoribus Romam influxerit *non tenuis quidam e Graecia rivulus, sed abundantissimus amnis illarum disciplinarum et artium* enarratur, (§§ 34, 35, 36, 37, 44), sic denique Romanorum in aliorum institutis transferendis laudatur sapientia: *hoc ipso sapientiam maiorum statues esse laudandam, quod multa intelleges etiam aliunde sumpta meliora apud nos multo esse facta, quam ibi fuissent, unde huc translata essent atque ubi primum exstitissent* (16. 30). Quid, quod etiam ad Solonem sermo delabitur, cuius in aere alieno medendi consilium veterum Romanorum rationi opponitur? cfr. § 59: *defuerat* (*fuerat* cd. corr. Maehly) *fortasse aliqua ratio maioribus nostris in illo aere alieno medendi, quae neque Solonem Atheniensem non longis temporibus ante fugerat, neque post aliquanto nostrum senatum.*

E contraria vero parte ne unum quidem exstare locum, qui decemvirorum Solonisque legum similitudinem perstringat, sane quoniam Servii legem a Corinthiis derivat, Solonisque σεισάχθειαν veterum Romanorum rationi obicit, est cur miremur, per se tamen fortasse quod volumus non probaret. Accedit vero quod rem absolvit: enarrat Cicero historiam decemvirorum (36, 61), sed omittit legatos Athenas ad leges transferendas missos.

Utrumque, ut est libri ratio, cum neque casu neque consilio sit praetermissum, denuo quod aliis e locis bis iam evicimus, confirmatur: Ciceroni tota haec res erat ignota, anno 86 non minus quam anno 54; nullam ergo facultatem talia aut audiendi aut legendi ei fuisse nostro iure colligimus.

Pertinet autem hoc etiam ad Stilonem, qui num Solonis leges respexerit, dubitabamus. Nam praeterquam quod Aelii se fuisse discipulum et satis quidem studiosum ipse

Cicero testatur (Brut. 56. 207: *cum essem apud Aelium adulescens, eumque audire perstudiose solerem*) — eiusdem XII tabularum interpretationem ei ante libros de legibus non fuisse incognitam et verisimile est et ipse satis ostendit: idem ille locus libri de oratore primi, quem supra iam tetigimus, huc quoque pertinet. Crassus ubi iuris civilis cognitionem omnibus, quodcumque studium sequantur, miram quandam praebere suavitatem et delectationem exponit, primum affert haec (§ 193): *nam, sive quem haec Aeliana* (*aliena* edd.; corr. Madvigius) *studia delectant, plurima est et in omni iure civili et in pontificum libris et in XII tabulis antiquitatis effigies, quod et verborum vetustas prisca cognoscitur et actionum genera quaedam maiorum consuetudinem vitamque declarant; sive* e. q. s.; de quo loco nulla debuit esse dissensio: nam qui quidem intellexerit, hoc loco studia ad grammaticam *(verborum vetustas prisca)* et antiquitatum cognitionem (*maiorum consuetudinem vitamque*) pertinentia significari, Sex. vero Aelii legis interpretationem forensem fuisse non grammaticam,*) tum illius tripertitorum posteriore aetate exiguum fuisse usum, neque Ciceronem in eodem hoc libro (§ 186) ullam eorum habere rationem**), L. Aelium autem illorum studiorum principem etiam pronomine demonstrativo adiecto quasi aequalem significari, utrius Aelii studia laudentur***) dubitare nequit.

Neque ignorasse Ciceronem quae laudavit, elucet e libro de republ. II. 22. 40, quo loco postquam de Serviana rei publicae discriptione egit: *in quo*, inquit, *etiam verbis ac nominibus ipsis fuit diligens* (Servius); *qui cum locupletes „assiduos" appellasset ab aere dando, eos qui aut non plus mille quingentos aeris aut omnino nihil in suum censum praeter caput attulissent, „proletarios" nominavit, ut ex eis quasi proles i. e. quasi progenies civitatis exspectari videretur.*

Istam enim *assidui* interpretationem ab Aelio esse prolatam et quidem in interpretatione legis cuiusdam XII

*) Schoell l. l. pag. 25.

**) Schoell l. l. pag. 27.

***) De Sex. Aelio cogitarunt Hertz: *N. Jahrbb. f. Phil.* 85 (1862) pag. 45. Anm. et Voigt: *Abh. d. sächs. Ges. d. Wiss.* VII. pag. 324 sq. at cfr. Mentz: *de L. Aelio Stilone (comment. Jenens. 1890)* pag. 58.

tabularum de vindice dando (I. 4. Schoell.), alio loco ipse testatur, Topic. 5. 10: *cum lex assiduo vindicem assiduum esse iubeat, locupletem iubet locupleti: is est enim assiduus,**) *ut ait L. Aelius* (*Laelius* edd.) *appellatus ab aere dando***) deque proletariis***) siquidem in eadem illa lege nominabantur, idem affirmare possumus.

Cum igitur, si Aelius quicquam de legibus translatis docuisset, ne Ciceronem quidem fugere potuisset, iam quoniam contra evenit, de Aelio haud aliter iudicabimus, et leges illum Romanorum et Graecorum comparasse, praeterquam quod nulla confirmari potest ratione — nam de libro de legibus quid sit iudicandum vidimus — argumentatione nostra confisi non modo probari non posse verum prorsus negandum esse tenebimus. Dicendum ergo est de Aelio Stilone, quod de Sex. Aelio et L. Acilio: legum translatarum neque rationem habuit neque cognitionem.

Hoc quid valeat, apparet: multo nimirum est gravius, quam quod de Acilio aut Cicerone idem nobis persuasimus; eoque pluris est faciendum, quo Aelio tali in quaestione maior est tribuenda auctoritas, quam Ciceroni, illi qui commentario legem instruxerit, qui toti illi studiorum generi nomen dederit****), quam alteri, qui aliis studiis deditus rem nisi in transitu perstringere non potuerit. Nam si Aelius, quem doctissimum fuisse eorum temporum omnes consentiunt, qui — Ciceronem †) ut sequamur — *eruditissimus fuit et graecis litteris et latinis, antiquitatisque romanae et in inventis rebus et in actis scriptorumque veterum litterate peritus,* Solonis legum rationem non habuit, — si, quod Aelium scisse negandum est, id eiusdem aut antecedentis aetatis cuiquam cognitum fuisse credi nequit: neminem eo tempore fuisse dicemus, qui legum illam similitudinem compertam ha-

*) cfr. Gellius XVI. 10. 15. Paulus e Festo pag. 9 M.

**) de hoc loco cfr. Schoell. l. l. pag. 30.

***) cfr. Gell. XVI. 10. 13; Nonius pag. 67; Paul. e Fest. pag. 226. M.

****) Cic. de orat. I. 193.

†) Cicer. Brut. 205.

buerit, neque inter Romanorum homines litteratos neque inter Graecos. Illud congruit cum eis, quae de Sex. Aelio et L. Acilio disputavimus, hoc non iam audacius dictum videbitur, si quinam illi Graeci fuisse potuerint, cogitaveris: nulli scilicet, nisi qui Romae antiquitatis studiis se darent, et eadem quidem aetate, qua floruit Aelius ipse; quos tamen ille graecis litteris eruditissimus nosse potuit et debuit. — Et recte ex Aelii silentio coniecturam nos fecisse de prioribus, etiam eo confirmatur, quod ne Polybium quidem, qui inter veteres istos et Stilonem medius exstat, illius rei ullam habuisse scientiam infra probabimus.

Vides autem artissime hoc esse coniunctum cum altera illa quaestione, quid de legatis istis Athenas missis sit iudicandum — quas quaestiones non posse inter se secerni iam in Ciceronis libro de republica vidimus.

Et veteres quidem istos traditum habuisse missos esse Athenas legatos neque tamen Solonis leges, quas ignorabant, contulisse mirum non esset; — admodum esset mirum, si de recentioris aetatis viris doctis idem esset dicendum; nonne ipsa illa traditio ut leges compararent invitabat, ne dicam cogebat? Cur tandem Aelius, Aeliique aequales leges ipsas conferre neglexerunt? neque enim est audiendus, si quis ne hos quidem Solonis leges cognoscere potuisse respondebit.

Novam igitur oriri vides difficultatem, neque hanc posse solvi, priusquam quae rerum scriptores de legatione illa tradunt, recensuerimus atque — fieri si potest — ad auctorem revocaverimus.

Et de magna quidem illa posterioris aetatis scriptorum copia*) perfacilis est quaestio: omnes enim ex vetustioribus quos habemus ducunt originem, et plerique quidem ex Livio sive ex ipso, sive ex tertio interposito — pauci, ut videtur,

*) Singulos denuo enumerare non erit inutile; — facile apparet ab eis, qui legationis ipsius expressis verbis mentionem faciunt, segregari non posse ceteros, qui legationem ipsam omittunt, in universum tantum Atheniensium leges aliquid ad XII tabulas contulisse enarrant: nam hi quoque ex una rerum scriptorum traditione hauserunt. Singulos temporum ordine quantum fieri potest servato affero:

e Dionysio, — difficilior de ipso Livio, quique ei aetate est coniunctus, Dionysio. Hi quoniam primi nobis legationis eius sunt auctores — a Cicerone enim illam omitti vidimus — accuratius iam erunt tractandi.

1) Silius Italic. XIII. 752: „exin designat vates, qui iura sub armis poscenti dederint populo, primique petitas miscuerint Italis Piraeo litore leges."

2) Plin. epist. VIII. 24. 4: „habe ante oculos hanc esse terram, quae nobis miserit iura, quae leges non victis sed petentibus dederit."

3) Tacit. annal. III. 27: „pulso Tarquinio adversum patrum factiones multa populus paravit tuendae libertatis et firmandae concordiae, creatique decemviri et accitis quae usquam egregia, compositae duodecim tabulae, finis aequi iuris."

4) Florus I. 17. 24: „secundam (sc. seditionem) in urbe media decemviratus libido conflavit; allatas a Graecia leges decem principes lecti iubente populo conscripserant, ordinataque erat in duodecim tabulis tota iustitia."

5) Pompon. de orig. iur. (Dig. I. 2. 2. 4) „placuit publica auctoritate decem constitui viros, per quos peterentur leges a graecis civitatibus, et civitas fundaretur legibus."

6) Decl. in Catil. XX: „maiores olim nostri, sapientissimi homines et sine dubio gravissimi, num leges e Graecia per legatos suos accersendas esse putaverunt, quibus hanc imperii magnitudinem perpetuo stabilirent, ut tu homo recens severitate illarum cum barbatulis tuis abutereris?"

7) Arrian. ars tact. XXXIII. 2. ϛ.: „*εἰ γάρ τοι ἐπ' ἄλλῳ τῳ, καὶ ἐπὶ τῷδε ἄξιοι ἐπαινεῖσθαι Ῥωμαῖοι, ὅτι οὐ τὰ οἰκεῖα καὶ τὰ πάτρια οὕτως τι ἠγάπησαν, ὡς τὰ πανταχόθεν καλὰ ἐπιλεξάμενοι οἰκεῖα σφίσιν ἐποιήσαντο . . . . . καὶ μὴν τῶν νόμων, οὓς ἐν ταῖς δώδεκα δέλτοις τὰ πρῶτα ἐγράψαντο, τοὺς πολλοὺς εὕροις ἂν παρ' Ἀθηναίων λαβόντας.*"

8) Gaius libro IV ad leg. duod. tabul. (Dig. XXXXVII. 22. 4): „sodales sunt, qui eiusdem collegii sunt, quam Graeci *ἑταιρείαν* vocant; his autem potestatem facit lex pactionem quam velint sibi ferre, dum ne quid ex publica lege corrumpant; sed haec lex videtur ex lege Solonis tralata esse."

ib. (Dig. X. 1. 13): „sciendum est in actione finium regundorum illud observandum esse, quod ad exemplum quodammodo eius legis scriptum est, quam Athenis Solonem dicitur tulisse."

9) Gell. XX. 1. 4: „eas leges (sc. XII) cum Sex. Caecilius inquisitis exploratisque multarum urbium legibus eleganti atque absoluta brevitate verborum scriptas diceret" e. q. s.

10) Dio Cassius XXXXIV. 26: „ἓν δ᾽οὖν ὅμως τῆς ἀρίστης καὶ ἀρχαιοτάτης πόλεως, παρ᾽ ἧς οὐδ᾽ οἱ πατέρες ἡμῶν ἐπαγαγέσθαι τινὰς νόμους ἀπηξίωσαν, παρέξομαι“ (sc. παράδειγμα).

11) Euseb. Chronic. a. 1566: „νόμους ἐκ τῆς Ἑλλάδος Ῥωμαῖοι μετεστείλαντο, ἀφ᾽ ὧν τὰς δώδεκα δέλτους συνέθηκαν.“

12) (Aurel. Vict.) de vir. illustr. XXI. 1: „populus romanus cum seditiosos magistratus ferre non posset, decemviros legibus scribendis creavit, qui eas ex libris Solonis tralatas duodecim tabulis exposuerunt.“

13) Ammian. Marcell. XXII. 16. 22: „et Solon sententiis adiutus Aegypti sacerdotum, latis iusto moderamine legibus, romano quoque iuri maximum addidit firmamentum.“

id. XVI. 5: „primum igitur factuque difficile temperantiam ipse sibi indixit atque retinuit, tamquam adstrictus sumptuariis legibus viveret, quas ex rhetris Lycurgi et („id est“ cod.) axibus Solonis (add. Schoell. l. l. pag. 48) Romam translatas diuque observatas reparavit Sulla dictator.“

14) Hieronym. Chronica a. 1566: „Romani per legatos ab Atheniensibus iura petierunt, ex quibus duodecim tabulae conscriptae.“

15) Symmach. epist. III. 11: „arma a Samnitibus, insignia ab Tuscis, leges de lare Lycurgi et Solonis sumpseramus.“

16) Servius in Aen. VII. 695: „iustos autem dicit, quia populus romanus missis decemviris ab ipsis iura fetialia collegit, et nonnulla supplementa duodecim tabularum accepit: nam ab Atheniensibus decem habuerant tabulas.“

17) Cassiodor. Chronica. a. 300 (Abh. d. sächs. Gesellsch. d. Wiss. 1861): „a. 300. Sp. Tarpeius et A. Aternius. His consulibus legati Athenas missi ad leges describendas.“

18) Augustin. de civit. dei III. 17: „ubi erant (sc. illi dei) quando densissimis fatigata civitas seditionum malis, cum legatos Athenas missos ad leges mutuandas paululum quieta opperiretur, gravi fame pestilentiaque vastata est?“

ib. II. 16: „si autem a dis suis Romani vivendi leges accipere potuissent, non aliquot annos post Romam conditam ab Atheniensibus mutuarentur leges Solonis. Quas tamen non ut (fuerunt) acceperunt, sed meliores et emendatiores facere conati sunt; quamvis Lycurgus Lacedaemoniis leges ex Apollinis auctoritate se instituisse confinxerit. Quod prudenter Romani credere noluerunt, propterea non inde acceperunt.“

19) Oros. adv. pag. II. 13. 1: „anno qui proximus trecentesimo ab urbe condita fuit, dum legati ad Athenienses propter Solonis leges trans-

ferendas missi exspectantur, arma romana fames pestilentiaque compescuit. Ipso autem trecentesimo anno, hoc est olympiade nonagesima quinta, potestas consulum decemviris tradita constituendarum legum atticarum gratia magnam perniciem rei publicae invexit."

20) Lydus de mag. I. 31: „*ὡς δὲ βραδύνων Ἀθήνησι διὰ τοὺς νόμους σὺν τοῖς μετ' αὐτοῦ πρὸς τοῦτο σταλεῖσιν ὑπὸ Ῥωμαίων ἤτει* (sc. *ὁ Ἰούνιος Βροῦτος*) *τὸν θεὸν, ὁδὸν ὑποδεῖξαι*" . . . confundit legatos a decemviris Athenas missos cum legatis a Tarquinio Delphos missis!

id. I. 34: „*αὐτοὶ δὲ στέλλουσιν* (*ἡ ἱστορία φησὶν*) *εἰς Ἀθήνας Σπούριον Ποστούμιον, Αὖλον Μάρκιον καὶ Πούπλιον Σουλπίκιον. τῶν δὲ ἐπὶ τριετῆ χρόνον ἐκεῖ βραδυνόντων, ἕως καὶ τοὺς λειπομένους Ἀθηναίων νόμους ταῖς δέκα δέλτοις ἀναλάβωσι, δέκα προεβάλετο ὁ δῆμος ἄνδρας ἀνθεξομένους τῶν πραγμάτων.*"

id. I. 42: „*τῆς δὲ τύχης τὰ Ῥωμαίων εἰς ὕψος ἀναφερούσης ἠκολούθησαν εἰκότως καὶ πταίσματα, καὶ διαφερόντως ἀσωτία. ὥστε μετὰ τῶν δυόδεκα δέλτων καὶ τὸν περὶ ἀσωτίας νόμον παρὰ Κορινθίων πάλαι τεθέντα γράψαι Ῥωμαίους.*"

21) Isidor. Orig. V. 1. 1: „deinde cum populus seditiosos magistratus ferre non posset, decemviros legibus scribundis creavit, qui leges ex libris Solonis in latinum sermonem translatas XII tabulis exposuerunt."

22) Zonaras VII. 18: „*καὶ τρεῖς ἄνδρας εἰς τὴν Ἑλλάδα διὰ τοὺς νόμους καὶ τὰ παρ' ἐκείνοις ἔθη πεπόμφασι.*"

23) Suidas s. v. *νομογράφοι*: „*οὗτοι* (decemviri) *γάρ που καὶ τὰς δέκα δέλτους ἐπιχωρίοις τε καὶ ἑλληνικοῖς νόμοις ἀναγράψαντες, ἐς τὰς καλουμένας κύρβεις ἀνέθηκαν.*"

Et primum quidem de Livio. Nimirum si de uno illo capite, in quo de legatis missis refertur — libri tertii est tricesimum primum — egisse nobis sufficeret, ad finem aliquem vix perveniremus; iterum altius erit repetendum, atque quos in toto libro tertio Livius auctores secutus sit, quaerendum*).

*) cfr. Nitzch: *die röm. Annal. v. ihr. ersten Anfaengen bis auf Valer. Ant.* Berlin 1873: cuius primam partem, quae est de auctoribus a Liv. II 1 — IV 8, a Dionys. V 1 — XI 63 usurpatis iam antea (*Rhein. Mus.*

Nomine Livius commemorat unum Valerium Antiatem in bello cum Aequis a. 464 gesto enarrando (III. 5. 12), ubi illum secutus quot homines utrique amiserint accurate numeris circumscribit: *magnae clades ultro citroque illis diebus et inlatae et acceptae sunt; difficile ad fidem est in tam antiqua re, quot pugnaverint ceciderintve, exacto affirmare numero. Audet tamen Valerius Antias concipere summas: romanos cecidisse in Hernico agro quinque milia ac ducentos, ex praedatoribus Aequorum, qui populabundi in finibus romanis vagabantur, ab A. Postumio consule duo milia et quadringentos caesos, ceteram multitudinem praedam agentem, quae inciderit in Quinctium, nequaquam pari defunctam esse caede: interfecta inde quattuor milia et exequendo subtiliter numerum, ducentos ait et triginta.* —

Qui numeri Valerium quomodo bellum illud enarraverit, planeque consensisse cum traditione Liviana satis demonstrant, neque minus Dionysium in eodem bello describendo Antiate non esse usum: neque enim quae habet hic, cum Valerianis illis possunt coniungi. Nam Dionysium si sequimur, neque in Hernicis illa sunt gesta, immo: ἀναστάντες ἐκ τῶν Ἑρνίκων ἐχώρουν αὐτοῖς ὁμόσε (IX. 62 pag. 1920) — neque tanta fuisse potest clades Romanorum illa pugna omissa, qua consulem victum esse tradit Livius (4.7), cum alter tantum de obsessis castris verba faciat, in quo aliis quoque numeris utitur (63. 1924). Postumium cum Aequis populabundis

XXIII. 600 sqq., XXIV 145 sqq., XXV 75 sqq) publici iuris fecerat. Ad nostram quaestionem faciunt, quae exposuit pag. 91 sqq., et iterum atque iterum ad haec erit redeundum, quamqam de auctoribus plane eum errasse postea ipsi videbimus. Fundamenta enim, quibus opus suum exstruit, minime recte esse posita iam Peter (*histor. Rom. reliq.* I. pag. CCCXI), Hans Virck (*d. Quell. d. Liv. u. Dion. f. d. ält. Gesch. d. röm. Republ.* Strassb. 1877. pag. 1 sqq.) et uberius Heydenreich (*Fabius Pictor u. Livius.* Freiberg 1878 pag. 13 sqq.) docuerunt, ita ut denuo de his agere mihi necesse non sit. De Livii libri III fontibus egerunt praeterea Lachmannus (*de font. T. Livii comment.* I. Gotting. 1822 pag. 58 sq) et, quem plane omittere possumus, Stange (*de font. hist. Rom. quatenus Liv. II. III. continetur.* Frankf. a. d. Od. 1834). Reliqui suo loco commemorabuntur.

et Dionysius quidem bellantem facit, sed κατ' αὐτὸν μὲν τὸν ἀγῶνα ὀλίγοι τινὲς αὐτῶν διεφθάρησαν, ἐν δὲ τῇ φυγῇ πάνυ πολλοί (65. 1929), omittit autem proximam illam Valerii pugnam, qua fugientium pars maxima Quincti adventu occupata caesa esse dicitur (Liv. 5. 10, 13,)

Itaque ut Dionysium Valerio usum esse negamus, ita Livium, quem illo usum esse ex ipso scimus, totius belli descriptionem Valerianae prorsus similem ex eodem illo hausisse, post alios*) nos quoque colligimus. Quod recte intellexisse usui erit ad locum proximum (8. 10); iterum cladem describit: *ibi Volscum nomen prope deletum est, tredecim milia quadringentos septuaginta cecidisse in acie et fuga, mille ac centum quinquaginta vivos captos, signa viginti septem militaria relata in quibusdam annalibus invenio, ubi etsi adiectum aliquid numero sit, magna certe caedes fuit.*

Verba quidem sunt eius, qui plures inspexerit, nihil tamen esse cur hos numeros ex alio auctore atque antecedentis belli descriptionem fluxisse statuamus, loci a Nisseno**) allati probant, fuisse autem hunc eundem illum Valerium, a quo numeros non minus exacte relatos eadem cum dubitatione supra attulerat, vel hoc loco dici potest***).

Neque minus quae secuntur omnia recentioris aetatis auctorem sapiunt — singula apud Nitzschium invenies****) — usque ad Q. Fabium L. Cornelium consules (cap. 22); nam quae de his affert e vetustiore esse desumpta, ipsi Livio fidem habemus, cum dicit (23. 7): *eodem anno descisse Antiates apud plerosque auctores invenio. L. Cornelium consulem id bellum gessisse oppidumque cepisse, certum affirmare, quia nulla apud vetustiores eius rei mentio est, non ausim;* neque ullum harum rerum in antecedentibus exstat vestigium:

---

*) cfr. Nitzsch. l. l. pag. 90. 93; Lachmann. l. l. pag. 58.

**) Nissen: *Kritisch. Untersuchg. ü. d. Quell. d. IV. u. V. Decad. d. Livius.* Berlin 1863. pag. 47.

***) cfr. Peter l. l. CCCXI.

****) vide quae disputat de capp. 8/10 pag. 96 sqq; de lege tribunorum pag. 100 sqq.; de Caesone Quinctio pag. 111 sqq.; de Herdonio pag. 118 sqq. —

Cornelius est Romae relictus praesidio, atque tantum bello propemodum iam confecto ad populandum proficiscitur. Quod tamen idem in capite sequente triumphans dicitur in urbem redisse neque umquam antea Romae fuisse videtur, hoc quidem ad recentiores redisse Livium demonstrat:*) haec addere non potuit, nisi qui ut Dionysius (X. 20, 21) Antium coloniam defectam atque a Cornelio recuperatam esse tradiderat. In universum igitur de hoc loco ita videtur statuendum, Livium a recentiore illo auctore, quem adhuc sequebatur, de veterum dissensione admonitum, unum ex illis evolvisse, atque quae ibi invenit, recentiorum narrationi inseruisse, magnitudine vero discrepantiae permotum recentiorum quoque fortasse alterum inspexisse; nisi, ego quod credam, illud *apud plerosque* in uno suo auctore invenit.

Neque tamen vetustiores, ubi primum inspexit, plane reiecisse putandus est; admodum enim videtur probabile Cincinnati dictaturae narrationem, quam in proximis praebet plane aliam ac Dionysius, si non ex eodem at tamen e vetustiore auctore fluxisse**) — vetustiorem esse formam narrationis iam Lachmannus***) viderat, quocum Nitzschius****) quoque facit, dissentiens hac in re a Schweglero.†)

Sed hac de re quodcumque nobis persuademus, certe post Cincinnatum dictatura defunctum omnia recentiorem rursus originem prae se ferunt, decemviros creatos quae antecedunt††) non minus quam quae excipiunt;†††) neque enim Livii verba (47. 5):

---

*) cfr. Lachmann l. l. pag. 59.

**) Fortasse ex ipso Livio argumentum sumi potest: c. 16. 12 haec scripta videmus: *et illa quidem nocte nihil praeterquam vigilatum est in urbe,* sed quae tandem illa nox fuerit non dicitur; ex eius qui haec scribebat sententia ea quae §§ 5—11 legimus una nocte et die erant gesta, de qua re Livius, cum illa scriberet, non videtur cogitasse.

***) l. l. pag. 59.

****) l. l. pag. 103.

†) *Röm. Gesch.* II. 727 sq.

††) cfr. Nitzsch. l. l. pag. 129 sqq.

†††) cfr. Nitzsch. l. l. pag. 141 sqq.; Maschke: *d. Freiheitsprozess i. klass. Altertum* (*Jastrow histor. Untersuch.* 1888) pag. 47 sqq. Eandem rem alia e parte aggressus est Niese: *de annal. Rom. observ. alterae* Marb. 1886. pag. 6 sqq., qui ad eum pervenit finem (pag. 11) ut statueret Ci-

quem decreto sermonem praetenderit (sc. Appius) *forsan aliquem verum auctores* ***antiqui*** *tradiderint* contra nos facere per se elucet; affert talem orationem Dionysius XI. 32.

Quae vero Livii auctoris fuerint propria, qui tandem ipse fuerit — neque enim recentioris illum fuisse aetatis sufficit — ex eis quae adhuc protulimus, non iam diiudicari potest: sed alia ad haec accedunt, quae, si unus Livius esset servatus, fortasse vix animadverterentur, quibus tamen, ubi easdem res alium secundum auctorem enarratas apud Dionysium invenimus, ad Livii auctorem qualis fuerit notandum non parva est tribuenda auctoritas. Quocumque enim auctore Livium usum esse statuemus, alium fuisse quam quem sequebatur Dionysius res apud utrumque enarratae docent, usque ad eum scilicet annum, quo legati Athenas sunt missi; in sequentibus enim aliam inter utrumque intercedere rationem postea videbimus. Singula nimirum hoc loco afferri non possunt; invenies omnia apud Nitzschium, quamquam ea hic sunt omittenda, quae e vetustiore hausta recentiori inseruit Livius, quos hic sprevit secutus enarravit Dionysius; compara e. g. Liv. 4/5 = Dion. IX. 63 sqq.; Liv. 7/9 = Dion. IX. 67 — X. 1; Liv. 15. 1—3 = Dion. X. 9—13.

His igitur comparatis primum Livii auctorem ad Valeriorum gentis gloriam amplificandam satis fuisse propensum apparet, quod proprium illius fuisse ex Dionysii silentio colligimus. Exempla ipsa afferre erit optimum: Et quidem quod *L. Valerius ad praesidium urbis relictus* (5. 3) aut *M. Valerius augur mortuus* (7. 6) ab uno Livio nominatur, haud ita magni est faciendum, pluris quod *M. Valerius Valeri filius, Volesi nepos,* quo quaestore Volscius falsus ille contra Caesonem testis poenas dedit, non nisi apud eundem exstat (25. 2) (*in quaestoribus novis maior vis, maior auctoritas erat*), cum Dionysius non solum Valerii sed ne totius quidem iudicii mentionem faciat: maxima autem sunt, quae apud unum Livium inveniuntur de P. Valerio Publicola: unus Valeri interregis mentionem facit (8. 2): *cum aliquot interregna exissent, P. Valerius*

ceronis demum aetate illam Verginiae historiam nominibus exornari coeptam esse.

Publicola tertio die, quam interregnum inierat, consules creat, — unus Valerii consulis longam illam ad plebem habet orationem (cap. 17), quacum cohaeret illa Cincinnati (cap. 19) item ab uno Livio tradita, — unus de eiusdem consulis funere publico agit (18. 11): *in consulis* (Valerii) *domum plebes quadrantes ut funere ampliore efferretur, iactasse fertur,* — unus ad eundem Valerium extollendum male indicat de Claudio (20. 1): *consul alter* (Claudius) *comes animosior quam auctor, suscepisse collegam priorem* (Valerium) *actiones tam graves facile passus* e. q. s. —

Jam talia Livii auctori esse tribuenda ubi vidimus, in alterius quoque decemviratus descriptione, in quo enarrando eundem uterque sequitur, eiusdem scriptoris vestigia inveniemus: tota enim narratio in maiorem Valeriorum laudem est composita: ubique Valerius et Horatius collega quasi plebis ac libertatis vindices opponuntur decemviris tyrannis; primas agunt partes in senatu (39 sqq.), uni Verginia caesa resistunt decemviris (49), his denique auctoribus plebs conciliatur et amissa libertas recuperatur, postquam tres legati consulares infecta re Romam redierunt (51 sqq.) — quae Valerii legatio quomodo recentissima demum aetate sit ficta atque alteri illi antiquitus traditae addita Nitzschius*) et Maschkius**) docent.

Praeterea Livii auctoris proprios fuisse dicemus ingentes illos atque nimis accurate relatos numeros, qui apud Livium in eisdem illis partibus, quas ad recentiorem auctorem revocavimus, apparent, a Dionysio contra omnes omittuntur: hinc immodici illi et accurati numeri capitum, quae Livius illis temporibus censa esse narrat, cfr. 3. 9: *censa civium capita centum quattuor milia ac centum quattuordecim dicuntur praeter orbos orbasque* et 24. 10: *censa civium capita centum septemdecim milia trecenta undeviginti* — hinc illi non minus exacti et mirabiles, quibus ad victorias Romanorum amplificandas utitur: cfr. 5. 13 et 8. 10 locos supra allatos, et 31. 4 ubi *supra septem milia hostium* caesa esse referuntur.

---

*) l. l. pag. 145.
**) l. l. pag. 62 sqq.

Utraque autem re — summam ut faciam — nos ad eundem Valerium Antiatem, a quo profecti sumus, reduci, notum est ac pervulgatum*), neque de hoc libro quemquam**) fugit — quamquam maiorem libri partem ad illum referre nemo adhuc ausus est. Sed omnia si comprehendimus: constare de recentioris aetatis auctore, nomine afferri unum Valerium, ad Valerium capita quartum, quintum, octavum esse referenda, eiusdem Valerii vestigia cum reliquis arte coniuncta per totum librum dispersa reperiri, Livium denique non esse eum, qui plurium auctorum narrationes coniungat et conglutinet***): eo haec ducunt omnia, ut Valerium usque ad decemviros imperio pulsos — longius rem persequi supersedeo — Livii auctorem fuisse unum statuamus, nisi quod e more suo****) quaedam e vetustiore desumpta interposuit.

Quod tamen ut contra Nitzschium defendamus necesse est: hic enim, quamvis ipse Antiatis vestigia ibi multo minus quam alias reperiri concedat, tamen Dionysium Valerium sequi persuasum habet, et invenisse quaedam sibi visus est, quae illum nisi e Valerio haurire non potuisse censet;†) de quibus recte si iudicasset, perverteret sane quae nos de Valerio Livii auctore disputavimus. Sed eis, quae de lege Aternia Tarpeia ††) profert, ne ipse quidem, credo, ullam tribuerit auctoritatem,†††)

*) cfr. paucos ut nominem: Nissen l. l. pag. 43 sq.; Peter l. l. pag. CCCVII.

**) de capp. 17. 19. vide Weissenborn a. h. l.; de funere Valerii publico cfr. quae exposuit F. Vollmer amicus in *Fleck. ann. suppl.* vol. XIX pag. 322. Anm. 2; de censibus Kiessling: *d. Dion. Halic. auct. lat.* Bonn 1858. pag. 27 sq.; de numeris illis Peter l. l. pag. CCCXI; Schwegler *R. G.* I. 1. 91. cfr. etiam quae profert Jordan (*Hermes* VI. 201 sq.) ad Livii 4. 1: *Furios Fusios scripsere quidam*, et 8. 2: *Veturius, sive ille Vetusius fuit.*

***) vide quae Nissen l. l. de quarta et quinta decade exposuit; quem sequitur Nitzsch. l. l. pag. 1 sqq.

****) Nissen l. l. pag. 46.

†) l. l. pag. 105 sqq. 132.

††) de hac lege vide Schwegler II. 609 sqq.; Niebuhr *R.G.* II. 341.

†††) nititur verbis Plutarchi in vita Public. c. 11: *Ζημίαν ἀπειθείας ἔταξε βοῶν πέντε καὶ δυοῖν προβάτων ἀξίαν*, quo loco iam Valerio Publicolae lex de multis tribuitur; quod ex Antiate esse desumptum

probabilius primo quidem obtutu videtur, quod dicit, accuratos illos numeros, quibus Siccius Dentatus de proeliis pugnatis, vulneribus acceptis, insignibus reportatis apud Dionysium (X. 37) gloriatur, Valerii illum prae se ferre morem, de quo ipsi supra disputavimus. — Modo, qui idem tradunt, curasset: ad Valerium enim, si totius narrationis fuit auctor, omnes referri posse necesse est. Sed ne unus quidem cum Dionysio consentit: neque Varro, e quo hauserunt Valerius Maximus (III. 2. 24), Festus s. v. *obsidionalis* pag. 191 M, Fulgentius s. v. *nefrendes*, — qui plura habet quam Dionysius, etiam in singulis dissentiens, neque Gellius II. 11 *e libris annalibus*, neque denique Plinius n. h. VII. 29. 101; etiam hic multo plus habet numerorum, et aliam quoque affert causam, cur Romilio consuli dies dicta sit (*convicto male imperatae rei militaris*), hoc cum addit, se e rerum aliquo scriptore hausisse ostendens; qui non erat Valerius, quo hoc in libro non utebatur, fortasse Gellius, cuius annales ei praesto fuisse index auctorum docet.

Quae cum ad unum Valerium auctorem reduci non possint, cumque — ut illud fieri posse concedamus — si Valerius haec invenisset, apud Dionysium nostro iure ea requireremus quae plura habent reliqui — neque enim is erat Dionysius, qui talia omitteret —: corruit Nitzschii argumentum, neque est cur de sententia nostra, Valerium Livii fuisse auctorem, decedamus.

Sane Livium quae de legatis Athenas missis refert una cum reliquo libro e Valerio hausisse per se haud multum nos docet, vim vero suam habebit, si quae de Dionysio sint sta-

---

admodum videri probabile concedo. Jam unus Dion. legem Aternii et Tarpei consulum circumscribit ita: *αὐτοὶ τὴν ἀξίαν ὥρισαν, μέγιστον ἀποδείξαντες ὅρον ζημίας δύο βόας καὶ τριάκοντα πρόβατα.* cum reliqui omnes de triginta bubus et duabus ovibus loquantur; et Nitzsch. quidem credit haec Dionysii cohaerere cum Plutarcheis illis, ex eodem igitur fluxisse auctore. — Causam equidem non video. cfr. Schwegler II. 611. Anm. 2. Niebuhr l. l. Anm. 691. Multo maiore iure nos dicere possumus: si Valerius Antias (i. e. Plut. Publ. c. 11) iam Valerio Publicolae legem quandam de multis tribuerat, alteram hanc silentio illum praeterisse probabile est.

tuenda viderimus, ad quam quaestionem haec de Livio constituta viam nobis muniverunt.

Dionysium usque ad Spurium Tarpeium A. Aternium consules (Liv. 31. 5 — Dion. X. 48) alio auctore uti quam Livium identidem iam vidimus — quamvis quis ille fuerit, dicere non audeam — neque minus inde ab altero decemviratu eiusdem auctoris vestigia utrumque sequi iactavimus magis quam probavimus. Quod tamen nunc erit faciendum, neque fecisse nos paenitebit. — Et res quidem non diversas enarrari, nescio an alio etiam modo possit explicari, quod vero eadem eisdem quoque enarrantur verbis, res absolvitur, neque Niebuhrium*) aut Nitzschium**) hoc fugit. Nullum autem hac de re exstare scrupulum cum maxime nostra intersit, cumque verear, ne alio modo adversariis***) non persuadeamus — veniam mihi peto singulos locos allaturo atque contra compositurο,****) quibus locis eo plus inest momenti, quo fusius circumscribit Dionysius quae breviter significantur a Livio:

*) *R. G.* II. 389.

**) l. l. pag. 141 sqq. Pauca nimirum inveniri diversa neque in Tacito et Plutarcho (*Herm.* IV. 295 sqq.) est mirum, neque hic; cfr. de his discrepantiis Nitzsch. l. l. pag. 143 sq.; cui in eis, quae de causa Verginiana dicit, plane assentior: ne apud Dion. quidem inde ab initio puellae adsunt familiares, et si in auctore communi tale quid exstabat, quale nunc legimus apud Dion. XI. 28. 2230: *πάντων ἀξιούντων περιμένειν, ἕως ἔλθωσιν οἱ συγγενεῖς τῆς κόρης*, facile adduci potuit Livius ut falso loco intervenisse familiares commemoraret. Errat autem Nitzschius, cum dicit (pag. 144) deesse apud Dion. sententiam illam, *quae patricios coire ad interregem prodendum iubebat* (Liv. 40. 7): non respexit Dion. XI. 20. 2205: *τὴν μεσοβασίλειον ἀρχὴν ἑλέσθαι, τὸν ἐπιτηδειότατον ἐκλέξαντες τῶν πολιτῶν.* — Longas illas orationes a Dion. insertas plane respondere eis, quas adumbrat Livius, etiam Peter (*Rh. M.* 29 pag. 557) animadvertit.

***) Verginiae historiam ab utroque secundum diversos auctores esse enarratam contendit Maschke l. l. pag. 65 sq.; cfr tamen quae idem affert pag. 186. et Nitzsch. pag. 143.

****) Nonnullos ex his locis comparavit iam Peter: ***Z. Kritik der Quellen der älteren römischen Geschichte*** 1879. pag. 79. = ***Rh. M.*** N. F. 29. 556 sq.

Liv.	Dion.
36. 3. „initio igitur magistratus primum honoris diem denuntiatione ingentis terroris insignem fecere; nam cum ita priores decemviri servassent, ut unus fasces haberet et hoc insigne regium in orbem suam cuiusque vicem per omnes iret, subito omnes cum duodenis fascibus prodiere; centum viginti lictores forum impleverant et cum fascibus secures illigatas praeferebant."	**X. 59. 2150.** „ἕωθεν εὐθὺς ἐξήεσαν οἱ δέκα τὰ παράσημα τῆς βασιλικῆς ἐξουσίας ἅπαντες ἐπαγόμενοι. ὁ δὲ δῆμος, ὡς ἔμαθεν αὐτοὺς οὐκέτι φυλάττοντας τὸ δημοτικὸν ἐκεῖνο καὶ μέτριον σχῆμα τῆς ἡγεμονίας, οὐδὲ διαμειβομένους τὰ παράσημα τῆς βασιλικῆς ἀρχῆς ὡς πρότερον, εἰς πολλὴν ἦλθε δυσθυμίαν καὶ κατήφειαν. ἐφόβουν θ' οἱ προσηρτημένοι ταῖς δέσμαις τῶν ῥάβδων πελέκεις, οὓς ἔφερον οἱ προηγούμενοι τῶν ἀνδρῶν ἑκάστου δώδεκα ὄντες . . ."
36. 5. „decem regum species erat multiplicatusque terror . . ratis . . ut, si quis memorem libertatis vocem misisset . ."	**60. 2151.** „πολὺ παρειστήκει δέος . . . ἀπολωλεκέναι νομίζουσι τὴν ἐλευθερίαν καὶ δέκα βασιλεῖς ἐλομένοις ἀνθ' ἑνός."
36. 6. „intercessionem quoque consensu sustulerant . ."	**59. 2149** „συνθήκας σφίσιν αὐτοῖς ἔθεντο περὶ μηδενὸς ἀλλήλοις ἐναντιοῦσθαι . ."
36. 7. „ut apud quos gratia vim aequi haberet . ."	**60. 2153.** „οἳ διημείβοντο ἀλλήλοις καταχαριζόμενοι τὰς δίκας."
37. 4. „et duae tabulae legum ad prioris anni decem tabulas erant adiectae . ."	**60. 2154.** „τοὺς λοιποὺς συγγράψαντες νόμους ἐν δέλτοις δυσί, καὶ ταύτας ταῖς πρότερον ἐξενεχθείσαις προσέθηκαν."
37. 6. „patriciis iuvenibus saepserant latera . ."	**60. 2152.** „ἑταιρίαν ἕκαστοι συνῆγον ἐπιλεγόμενοι τοὺς θρασυτάτους τῶν νέων καὶ σφίσιν αὐτοῖς ἐπιτηδειοτάτους."
37. 7. „hi ferre, agere plebem plebisque res . ."	**XI. 2. 2160:** „τοῖς θρασυτάτοις τῶν νέων, οὓς εἶχον ἕκαστοι περὶ αὑτούς, ἐφῆκαν ἄγειν καὶ φέρειν τὰ τῶν ἐναντιουμένων τῇ πολιτείᾳ."
ib. „alii securi subici, et ne gratuita crudelitas esset, bonorum donatio sequi domini supplicium."	**X. 60. 2153.** „πολλοὺς μὲν ἀποκτιννύντες τῶν πολιτῶν, πολλοὺς δ' ἀφαιρούμενοι τὰς οὐσίας ἀδίκως."

38. 3. „Sabini magna manu incursionem in agrum romanum fecere, lateque populati cum hominum atque pecudum inulti praedas egissent, recepto ad Eretum . . agmine castra locant . .“

38. 4. „Decemviri consultant quid opus facto sit . .“

38. 5. „Aequi alia ex parte castra in Algido locant, depopulanturque inde excursionibus Tusculanum agrum.“

38. 8. „postquam audita vox in foro est praeconis patres in curiam ad decemviros vocantis, velut nova res, quia intermiserant iam diu morem consulendi senatus, mirabundam plebem convertit, quidnam incidisset, cur ex tanto intervallo rem desuetam usurparent.“

38. 12. „dimissi circa domos apparitores simul ad pignera capienda sciscitandumque, num consulto detrectarent, referunt senatum in agris esse . . . iubent acciri omnes senatumque in diem posterum indicunt. qui aliquanto spe ipsorum frequentior convenit.“

39. 2. „prohibentibus minaciter decemviris . . tumultum excivisse . .“

39. 3. „nec minus ferociter M. Horatium Barbatum isse in certamen, decem Tarquinios appellantem admonentemque, Valeriis et Horatiis ducibus pulsos reges.“

XI. 3. 2162. „Σαβῖνοι ἐμβαλόντες . . καὶ πολλῆς γενόμενοι λείας ἐγκρατεῖς φόνον τε πολὺν ἐργασάμενοι τοῦ γεωργικοῦ πλήθους ἐν Ἠρήτῳ κατεστρατοπέδευσαν.“

3. 2163. „μετὰ τούτων ὅ τι χρὴ πράττειν ἐσκόπουν.“

ib. „Αἰκανοὶ δ' εἰς τὴν Τυσκλάνων γῆν ἐμβαλόντες . . καὶ πολλὰ δηώσαντες αὐτῆς ἐν Ἀλγίδῳ τίθενται τὸν χάρακα.“

4. 2165. „οἱ μὲν τότε ὄντες κατὰ τὴν ἀγορὰν ἐθαύμαζον, εἰ περὶ μηδενὸς πώποτε συγκαλέσαντες τὴν βουλὴν τότε πρῶτον ἔγνωσαν, ὅτι καὶ συνέδριόν ἦν τι παρὰ Ῥωμαίοις.“

ib. „ἐπεχείρησαν μὲν ἐκ τῶν οἰκιῶν τοὺς βουλευτὰς ἄγειν. πυθόμενοι δὲ τὰς πλείους ἐρήμους ἀφειμένας, εἰς τὴν ὑστεραίαν ἀνεβάλοντο. ἐν δὲ τῷ μεταξὺ χρόνῳ πέμποντες ἐπὶ τοὺς ἀγροὺς ἐκεῖθεν αὐτοὺς ἐκάλουν· πληρωθέντος δὲ τοῦ συνεδρίου . .“

5. 2169. „Ἄππιος δὲ καὶ οἱ λοιποὶ δέκα πάντες ἀναπηδήσαντες ἐκώλυον αὐτὸν λέγειν· θορύβου δὲ πολλοῦ κατασχόντος τὸ συνέδριον.“

ib. „Μάρκος Ὁράτιος ὁ Βαρβάτος ἐπικληθεὶς . . . ὅς οὐκέτι κατασχὼν τὴν χολὴν ἔφησεν . . . . ἀλλὰ τὸν Ταρκύνιον ἐκεῖνον ἐνδυόμενοι — πότερον ὑμῶν ἐξελήλυθεν ἐκ τῆς διανοίας ὅτι σώζονται μὲν οἱ Οὐαλερίων ἀπόγονοι, τῶν ἐξελασάντων τὴν τυραννίδα, λείπεται δὲ διαδοχὴ τῆς Ὁρατίων οἰκίας.“

39. 6. „neque se videre, qui sibi minus privato ad contionem populum vocare quam illis senatum cogere liceat.“

40. 1. „haec vociferante Horatio cum X viri nec irae nec ignoscendi modum reperirent. . .“

40. 5. „sententiam igitur peregit, nullum placere senatus consultum fieri . . . multique ex consularibus verbo adsensi sunt.“

40. 9. „ut decemviros qui decemviratum petissent, aut socii aut hi maxime, oppugnarent . .“

40. 11. „sibi placere de eo, quo Valerius Horatiusque ante idus Maias decemviros abisse magistratu insimulent, bellis, quae immineant, perfectis, re publica in tranquillum redacta, senatu disceptante agi . .“

42. 2. „milites . . qui, ne quid ductu atque auspicio decemvirorum prospere usquam gereretur, vinci se per suum atque illorum dedecus patiebantur.“

42. 3. „ab Ereto per silentium noctis profugi . .“

43. 2. „prospeculatum ad locum.“

43. 6. „primo fides nuntiantibus fuit . .“

44. 4. „hanc virginem adultam, forma excellentem Appius amore ardens pretio ac spe perlicere adortus, postquam omnia pudore saepta animadverterat, ad crudelem superbamque vim animum convertit.“

5. 2170. „τί γὰρ δὴ καὶ τὸ κωλῦον ἔσται τὸν βουλόμενον ἡμῶν τὴν ἐκκλησίαν συγκαλεῖν . .“

6. 2171. „ἔτι δ' αὐτοῦ λέγοντος οἱ δέκα περιίστανται κεκραγότες καὶ τὴν δημαρχικὴν ἐπανασείοντες ἐξουσίαν . .“

15. 2193. „μηδὲν ψηφίζεσθαι περὶ μηδενὸς πράγματος . . ταῦτ' εἰπὼν καὶ πολὺν ἐκ τοῦ συνεδρίου κινήσας ἔπαινον . .“

16. 2195. „μετιόντας αὐτοὺς τὴν τῶν δέκα ἀρχὴν ἧς αὐτοὶ νῦν κατηγοροῦσιν . .“

18. 2199. „ὅταν δὲ τὰ τοῦ πολέμου τέλος ἡμῖν τὸ κράτιστον λάβῃ . . . εἰρήνης γενομένης, τότε καὶ περὶ τοῦ κόσμου τῆς πολιτείας σκοπεῖτε, καὶ λόγον ἀπαιτεῖτε τοὺς δέκα . .“

23. 2215. „ἐθελοκακούντων οὐκ ὀλίγων ἐν ταῖς συμπλοκαῖς . .“

ib. „περὶ μέσας νύκτας . . φυγῇ παραπλησίαν ποιούμενοι τὴν ἀνάζευξιν . .“

26. 2221. „τόπον ἐπιτήδειον προκατασκεψάμενος . .“

27. 2223. „καὶ ἐδόκουν ἅπασι πιστὰ λέγειν . .“

XI. 28. 2228. 29. „ταύτην τὴν κόρην ἐπίγαμον οὖσαν . . . τὸ μὲν πρῶτον ἐπειράθη διαφθεῖραι χρήμασι . . . διδούς τε πολλὰ καὶ ἔτι πλείονα τῶν δεδομένων ὑπισχνούμενος . . . ὡς δ' οὐκ ἔπειθον αὐτὰς ἀλλὰ καὶ φυλακῆς ἑώρα τὴν κόρην κρείττονος ἢ πρότερον ἀξιουμένην

44. 6. „in forum, ibi namque in tabernis litterarum ludi erant. . .“

44. 6. „virgini venienti in forum . . . minister decemviri libidinis manum iniecit . . . sequique se iubebat . . . pavida puella stupente, ad clamorem nutricis . . fit concursus . . . vocat puellam in ius.“

44 10. „id se indicio compertum afferre . .“

44. 11. „cum Verginium reipublicae causa dixissent abesse . .“

45. 9. „saevite in tergum et in cervices nostras . .“

46. 5. „placuit omnium primum fratrem Icilii filiumque Numitorii, impigros iuvenes, pergere inde recta ad portam et quantum accelerari posset Verginium acciri e castris . . iussi pergunt citatisque equis nuntium ad patrem perferunt.“

47. 1. „filiam secum obsoleta veste . . . in forum deducit.“

48. 3. „proinde quiesse erit melius, inquit; lictor submove turbam et da viam domino ad prendendum mancipium; cum haec intonuisset, plenus irae, multitudo ipsa se sua sponte dimovit . .“

φλεγόμενος ὑπὸ τοῦ πάθους τὴν ἰταμωτέραν ἔγνω βαδίζειν ὁδόν.“

28. 2228. „ἦν δὲ τὰ διδασκαλεῖα τότε τῶν παίδων περὶ τὴν ἀγοράν . .“

28. 2229. „ὁ δὲ παραγενόμενος ἐπὶ τὸ διδασκαλεῖον ἐπιλαμβάνεται τῆς παρθένου καὶ φανερῶς ἄγειν ἐβούλετο δι' ἀγορᾶς. κραυγῆς δὲ γενομένης καὶ πολλοῦ συνδραμόντος ὄχλου κωλυόμενος ὅποι προῃρεῖτο τὴν κόρην ἄγειν, ἐπὶ τὴν ἀρχὴν παραγίνεται . .“

29. 2232. „νῦν δὲ διὰ μηνύσεως ἐπιγνοὺς . .“

30. 2233. „Οὐεργίνιον . . ὃν ἀποδημεῖν στρατευόμενον ὑπὲρ τῆς πόλεως.“

31. 2238. „ἀλλὰ τὸν ἐμὸν κέλευε ἀποκόψαι τράχηλον . . “

33. 2241. „οἱ τῇ κόρῃ προσήκοντες, Νομιτωρίου τε υἱὸς καὶ ἀδελφὸς Ἰκιλίου, προαποσταλέντες ὑπὸ τῶν ἄλλων — νεανίαι λήματος πλήρεις ἀπὸ ῥυτῆρος καὶ μετὰ μάστιγος ἐλαθεῖσι τοῖς ἵπποις πρότερον διανύσαντες τὴν ὁδὸν καὶ τῷ Οὐεργινίῳ τὰ πεπραγμένα διασαφηνίσαντες.“

35. 2246. „ἐν ἐσθῆτι οὖσα πιναρᾷ . .“

37. 2250. „γνώμην δὴ λαβόντες κρείττονα ἧς ἔχετε νῦν ἄπιτε, οἷς μή τι πρᾶγμα, καὶ πράσσετε τὰ ἑαυτῶν, εἰ σωφρονεῖτε· σὺ δ' ἄγου τὴν παιδίσκην ἔχων, Κλαύδιε, μηδένα δεδοικὼς δι' ἀγορᾶς. οἱ γὰρ Ἀππίου σε προπέμψουσι δώδεκα πελέκεις. ὡς δὲ ταῦτ' εἶπεν, οἱ μὲν ἄλλοι . . . παρεχώρουν ἐκ τῆς ἀγορᾶς.“

48. 5. „seducit filiam . . . atque ibi ab lanio cultro arrepto: hoc te uno, quo possum, ait, modo, filia in libertatem vindico . .“	**37. 2251.** „ἔπειτα κατὰ μικρὸν ὑπάγων, ὡς ἦν ἐγγὺς ἐργαστηρίου μαγειρικοῦ, μάχαιραν ἐξαρπάσας ἀπὸ τῆς τραπέζης, . . . εἰπὼν, ἐλευθέραν σε . . . ἀποστέλλω τοῖς κατὰ γῆς προγόνοις.“
48. 6. „clamore ad tam atrox facinus orto . . . ille ferro quacumque ibat viam facere . . donec . . ad portam perrexit.“	**37. 2252.** „κραυγῆς δὲ γενομένης, ἡμαγμένην ἔχων τὴν σφαγίδα . . ἔθει διὰ τῆς πόλεως . . διεκπαισάμενος δὲ τὰς πύλας . . .“
50. 4. „quaerentibus, quid rei esset, flens diu vocem non misit; tandem, ut iam ex trepidatione concurrentium turba constitit . . ordine cuncta, ut gesta erant, exposuit . . .“	**40. 2259.** „ὁ δὲ τέως μὲν ἐπορεύετο κλαίων καὶ διασημαίνων τοῖς ὁμόσε χωροῦσιν ἀκολουθεῖν . . . ἐπεὶ δὲ εἰς τὸν ἀναπεπταμένον τοῦ στρατοπέδου τόπον ἦλθεν . . . . διηγεῖτο τὰς καταλαβούσας αὐτὸν συμφοράς . .“
50. 3. „strictum etiam telum respersusque ipse cruore . .“	**40. 2258.** „αἵματι πεφυρμένος ἅπας καὶ τὴν μαγειρικὴν σφαγίδα διὰ χειρὸς ἔχων.“
50. 7. „illis quoque enim filias, sorores coniugesque esse, nec cum filia sua libidinem Appi Claudi extinctam esse, sed quo impunitior sit, eo effrenatiorem fore.“	**41. 2263.** „ἀλλὰ καὶ ὑμῶν εἰσι πολλοῖς τοῖς μὲν θυγατέρες, τοῖς δὲ γαμεταί, τοῖς δὲ νεανίαι παῖδες εὐπρεπεῖς, οὓς τί κωλύσει πρὸς ἄλλου τινὸς τῶν δέκα τυράννων ἢ καὶ πρὸς αὐτοῦ τοῦ Ἀππίου ταὐτὰ παθεῖν;“
50. 10. „haec Verginio vociferanti succlamabat multitudo, nec illius dolori nec suae libertati se defuturos.“	**42. 2264.** „ἔτι δὲ αὐτοῦ λέγοντος ἀνεβόησαν οἱ πολλοὶ τιμωρήσειν ὑπισχνούμενοι . .“
51. 10. „ibi coniuncti alteri exercitui viginti tribunis militum negotium dederunt, ut ex suo numero duos crearent, qui summae rerum praeessent.“	**49. 2270.** „ἐπεὶ δὲ συνέμιξαν ἀλλήλοις. — τοῖς εἴκοσι χιλιάρχοις ἐπέτρεψαν ἅπαντα ὑπὲρ τοῦ κοινοῦ . „ ἐκ δὲ τῶν εἴκοσι τοὺς ἐπιφανεστάτους ἀπέδειξαν δύο προβούλους . .“

Hic subsistamus: nam quae secuntur maximam quidem partem apud Dionysium perierunt neque quae restant cum Livio congruunt, ita ut Dionysium inde a L. Valerio M. Horatio consulibus ad novum auctorem transisse statuendum esse credam, in hac quoque re cum Nitzschio consentiens.

Ea adhuc restant capita, quibus continentur quae decemviros creandos proxime antecedunt quaeque decemvirorum anno priore sunt gesta (Dion. X. 48—58, Liv. III. 31. 5—35).

Ne haec quidem e Valerio esse hausta maximae docent inter Livium et Dionysium discrepantiae, quas uberius exponere post Nitzschii egregiam disputationem*) cum sit supervacaneum, summatim attigisse sufficiet: antecedentis anni consulibus ab aliis accusatoribus et ob diversum crimen dies dicitur (Liv. 31. 5 — Dion. 48) — Livius enim antea legem agrariam, Siccium legis suasorem, insidias a consulibus ei factas ne verbo quidem tetigerat —**), novi consules collegis damnatis diversum prorsus in modum affecti sunt (Liv. 31. 6 — Dion. 50. 2124)***), sequentis denique anni consulum alter idemque decemvir „Curiatius“ audit apud unum, „Horatius“ apud alterum****). — Alia Menenii ac Sestii consulum de lege ad patres referenda est sententia (Liv. 33. 4 — Dion. 54. 2137; 55. 2139); alia etiam temporum ratio: apud Liv. (33. 1, 4) decemviri creantur C. Menenio P. Sestio consulatu defunctis, apud Dionys. (56. 2141) his ipsis consulibus.†) Omittit deinde Livius legem Aterniam Tarpeiam (D. 50. 2124), Romilium legem suadentem (D. 50. 2125—52), Spurium Furium consulem suffectum (D. 53. 2133), neque denique tradit, plebeios quoque homines fuisse in novorum decemvirorum numero (D. 58. 2148); Dionysius contra

*) l. l. pag. 129. sqq.

**) Nitzsch. l. l. pag. 132.

***) Nitzsch. l. l. pag. 131 sq.

****) Schwegler, *R. G.* III. pag. 24. Anm. 5.

†) Schwegler, *R. G.* III. pag. 22. Anm. Mommsen: *Röm. Chronol.* 121. Anm. 209.

nihil habet de tribunorum priore lege mutata (L. 31. 7)*), de controversia adminiscerenturne plebei decemviris orta (L. 31. 8; 32. 7)**), de sacerdotibus morbo absumptis (L. 32. 3), de lege Icilia aliisque legibus sacratis conservandis (Liv. 32. 7), de Appio antea plebis insectatore (L. 33. 7),***) de C. Julii decemviri moderationis exemplo (L. 33. 10), nihil denique de eis, quae de Appio decemviratum iterum petente uberrime enarrat Livius (35. 3—10).

Magnas profecto esse et multas discrepantias, quaeque ut diversos auctores sumamus flagitent, concedes: neque tamen in his desunt, quae maximam prae se ferunt similitudinem, non dico rerum, verum etiam verborum. Res satis est mira: Dionysius enim cum cetera uberrime omnia enarret longe a Livio digrediens, ubi primum ad legatos Athenas missos venit, eisdem utitur paucis et brevibus sententiis, quibus ille, eisdem propemodum verbis†); cumque utriusque narrationes aliquo modo cohaerere appareat, utrum Dionysiana e Valerio originem ducat, an contra Valerius e Dionysii auctore hauserit, dubitari potest. Quam tamen dubitationem loci ipsi tollent, quos iam appono:

Liv. 31. 8.

„missi legati Athenas Spurius Postumius Albus, A. Manlius, P. Sulpicius Camerinus iussique inclitas leges Solonis describere et aliarum Graeciae civitatium instituta mores iuraque noscere.“

Dion. 52. 2130.

„πρέσβεις ἀπεδείχθησαν οἱ τοὺς παρὰ τῶν Ἑλλήνων νόμους ληψόμενοι, Σπόριος Ποστόμιος καὶ Σερουίλιος††) Σολπίκιος καὶ Αὖλος Μάλλιος· οἷς τριήρεις τε παρεσκευάσθησαν ἐκ τοῦ δημοσίου καὶ ἄλλος κόσμος εἰς ἐπίδειξιν τῆς ἡγεμονίας ἀποχρῶν.“

*) vide quae de his post Niebuhr. *R. G.* II. 365 sq. et Schwegler. II. 571. sqq. egregie disputavit Nitzsch. l. l. pag. 45 sqq; 100 sqq: 136 sqq.

**) Nitzsch. l. l. pag. 133 sq.

***) cfr. Nitzsch. l. l. pag. 146.

†) non fugit hoc Steinhausen. l. l. pag. 21. sqq.; neque vero accuratius rem persecutus est; quod idem Licinium sumit auctorem, Nitzschium sequi videtur, ipse nihil probat.

††) Livium hoc loco Sulpicii nomen recte tradidisse probant loci III. 33. 3, 50. 15, 70. 2, 4, ubi idem affertur, Lyd. d. mag. I. 34. Ascon.

Cum quo Dionysii loco alter ille est coniungendus, qui exstat in Romilii consulis oratione 51. 2128:

„πρέσβεις ἑλέσθαι, τοὺς μὲν εἰς τὰς Ἑλληνίδας πόλεις τὰς ἐν Ἰταλίᾳ, τοὺς δ' εἰς Ἀθήνας· οἵτινες αἰτησάμενοι παρὰ τῶν Ἑλλήνων τοὺς κρατίστους νόμους καὶ μάλιστα τοῖς ἡμετέροις ἁρμόττοντας βίοις οἴσουσι δεῦρο."

nam quae Romilium de legatis mittendis dicentem facit, e more suo hausit ex eis, quae postea tradita inveniebat.

Liv. 32. 6.	Dion. 54. 2135.
„iam redierant legati cum atticis legibus; eo intentius instabant tribuni, ut tandem scribendarum legum initium fieret."	„ἐν δὲ τῷ αὐτῷ καιρῷ παρεγένοντο ἀπό τ' Ἀθηνῶν καὶ τῶν ἐν Ἰταλοῖς Ἑλληνίδων πόλεων οἱ πρέσβεις φέροντες τοὺς νόμους· καὶ μετὰ τοῦτο προσῄεσαν οἱ δήμαρχοι τοῖς ὑπάτοις, ἀξιοῦντες ἀποδεῖξαι κατὰ τὸ ψήφισμα τῆς βουλῆς τοὺς νομοθέτας."
Liv. 33. 3.	**Dion. 56. 2141.**
„decemviri creati Appius Claudius, T. Genucius, P. Sestius, L.*) Veturius, C. Julius, A. Manlius, P. Sulpicius, P. Curiatius, T. Romilius, Sp. Postumius. Claudio et Genucio,	„καὶ ἀπεδείχθησαν ἐν ἀρχαιρεσίαις ὑπὸ τῆς λοχίτιδος ἐκκλησίας Ἄππιος μὲν Κλαύδιος καὶ Τίτος**) Γενύκιος, οὓς ἔδει τοὐπιὸν ἄρχειν

ad Cic. Cornel. frg. 49. — Diversus igitur videtur a consule anni 461, qui apud Livium (10. 5), cui assentit Diod. XI. 84 *Servius* vocatur. Dionysii codices ter illum nominant Σερούΐλιον: aut igitur Dionys. eosdem esse ratus nomen mutavit, aut quod forma pariter corrupta facit probabile, scriba aliquis unum locum alteri accommodavit. Neque omnino his nominum discrepantiis quicqnam est tribuendum; cfr. Virck. l. l. pag. 11. Heydenreich l. l. pag. 20.

*) sic cdd.; non dubito quin cum Dionysio scribendum sit *T*; idem esse videtur atque consul anni 462, qui et a Livio (III. 8. 2) et a Dionysio (IX. 69. 1936) nominatur *Titus*.

**) Τίτος Λεύκιος Γενύκιος cdd; item 54. 2136: Τίτον Λεύκιον; scilicet Λεύκιον priore loco e Γενύκιον corruptum, in alterum translatum est.

quia designati consules in eum annum fuerant, pro honore honos redditus et Sestio, alteri consulum prioris anni, quod eam rem collega invito ad patres rettulerat; his proximi habiti legati tres, qui Athenas ierant, simul ut pro legatione tam longinqua praemio esset honos, simul peritos legum peregrinarum ad condenda nova iura usui fore credebant; supplevere ceteri numerum."

ἔτος. Πόπλιος δὲ Σήστιος ὁ τὸν ἐνιαυτὸν ἐκεῖνον ὑπατεύων, τρεῖς δὲ οἱ κομίσαντες παρὰ τῶν Ἑλλήνων τοὺς νόμους, Σπόριος Ποστόμιος καὶ Σερουίλιος Σολπίκιος καὶ Αὖλος Μάλλιος, εἷς δὲ τῶν ὑπατευσάντων τὸν παρελθόντα *) ἐνιαυτὸν Τίτος Ῥωμίλιος, ὁ τὴν ἐν τῷ δήμῳ δίκην Σικκίου κατηγορήσαντος ἀλούς, ἐπειδὴ γνώμης ἐδόκει ἄρξαι δημοτικῆς, ἐκ δὲ τῶν ἄλλων βουλευτῶν Γάιος Ἰούλιος καὶ Τίτος Οὐετούριος καὶ Πόπλιος Ὁράτιος, ἅπαντες ὑπατικοί."

Nulla mihi videtur esse posse dubitatio, quin haec novissime allata qui scripserit, Valerii illum locum ante oculos habuerit: omnia enim esse Valerii e Livio apparet, ita tamen mutata, ut Dionysii narrationi, quam diversam fuisse a Valeriana vidimus, conveniant. Neque enim Dionysius Valerianis integris uti potuit; immo cum consulem anni 453 suum auctorem secutus appellasset *Horatium*, eidem decemviro idem Horatio nomen erat tribuendum; porro cum temporis rationem sequeretur diversam a Liviana, neque igitur Sestius decemvir creatus nominari posset *prioris anni* consul, mutavit: ὁ τὸν ἐνιαυτὸν ἐκεῖνον ὑπατεύων, simul quam arte Valerium secutus sit, declarans: apud illum enim cum consulem prioris anni inter decemviros fuisse invenisset, Sestium vero, quem ille significaverat, iam nominasset, alium huic substituendum esse credebat, per errorem autem in Romilium incidit.

Neque alium ad finem ducit locus, qui antecedit: ad verbum paene Dionysius cum Livio congruit, nisi quod graecas in Italia urbes additas videmus, cum Livius atticas tantum

*) in his neminem offendisse valde miror: minime enim anno antecedente (τὸν παρελθόντα ἐνιαυτόν) consul fuerat Romilius, sed tertius iam erat annus, e quo munere erat defunctus. (Liv. 31. 2; fast. Capit; Diod; ipse Dionys). — Dionysium igitur memoria errasse statuendum est. Qui error quomodo possit explicari post videbimus.

leges commemoret. Priorem tamen formam iterum servasse Livium elucet: Dionysius enim ubi primum italicas úrbes addidit, ceteris quoque locis, quibus apud Livium Athenarum tantum fit mentio, mutare necesse habuit; sed ne hac quidem in re prospere versatus est; dicentem enim facit Romilium legem suadentem (51. 2128): *παραινῶ πρέσβεις ἑλέσθαι τοὺς μὲν . . . τοὺς δέ*, quasi de duabus legationibus diversis sit sermo, de quibus ne ipsum quidem cogitasse cetera docent. Causam vero, cur addiderit, e primo loco cognoscimus: Livio enim si fidem habere possumus, Valerius legatos Athenas isse tradiderat, addito tamen, aliarum quoque Graeciae urbium mores iura instituta noscere eos esse iussos, — quae urbes, quae fuissent, definire cum vellet Dionysius, addidit, quod erat proximum, graecas in Italia urbes, rem haud probabiliorem reddens: nam legatos Athenas missos aliarum simul Graeciae civitatum iura cognoscere esse iussos cogitari potest, minus eosdem tres primum Magnae Graeciae adisse urbes, tum demum venisse Athenas. Quae praeterea habet de triremibus singulis legatis tributis, ita sapiunt Dionysium, ut facilius credam haec illum de suo addidisse, sui temporis morem respicientem *), quam ex auctore communi omisisse Livium. —

Quae cum ita sint, haec de legatis ad Valerium redire, mihi quidem certum videtur. Sed alii loci accedunt: quo propius enim ad alterum decemviratum accedimus, eo minor inter Livium et Dionysium fit dissimilitudo, eo maior similitudo: rursus inveniuntur, quae paene ad verbum congruant; conferas quaeso Liv. 34. 1 — Dion. 57. 2144; Liv. 34. 7 — Dion. 58. 2146; Liv. 35. 1 — Dion. 58. 2146; Liv. 35. 4 — Dion. 58. 2147. — Ne de his quidem locis aliud potest statui, neque porro, utrum Dionysius ex ipso Valerio haec hauserit, an ex tertio interposito poteris dubitare, si illum inde ab altero decemviratu Valerio ipso usum esse consideraveris: Statuo igitur Dionysium, priusquam novo auctori totum se dederit, praesumpsisse quaedam — nescimus adhuc, qua de causa, — atque inseruisse eis, quae hauserat e priore; et ita esse factum, ut in maximis a Livio dissentiret, in aliis ad verbum consentiret. — Concedo

*) Niebuhr. *R. G.* II. 343, Anm. 697.

tamen, de hac re posse dubitari, dummodo maneat illud, quae de legatis tradita habemus, ad unum redire Valerium.

Dices nimirum, Dionysius et Livius an Valerius, hoc rem non mutat: antiquitus haec erant tradita; Valerius quoque ad alium redit.

Videndum igitur erit, ecquid de antiquioribus liceat eruere.

Multa ex eis, quae antea disputavimus, huc quoque faciunt: primum, gravissimum quod est, supra iam vidimus, Ciceronem in libro de republica secundo neque legum translatarum neque legationis missae ullam habuisse cognitionem, neque vero, quae libri esset ratio, si in fonte quicquam de legatis invenisset omissurum fuisse, hausisse autem, quae de Romanorum historia antiquissima profert, e Polybio. Itaque ne Polybium quidem legationis fecisse mentionem nostro iure colligimus, quamquam libri sexti pars ea, qua historia continebatur, deperiit, neque ex eis, quae supersunt, tale quid concludere licet. Neque enim assentiemur Steinhauseno, neganti*) Polybium, si Atheniensium et ceterorum Graecorum leges aliquid ad condendum ius romanum contulisse cognitum habuisset, in Romanorum republica cum ceteris comparanda Atheniensium civitatem ita potuisse neglegere (VI. 43) aut Lycurgum solum cum Romanis conferre (VI. 10) — agitur enim his locis de universae reipublicae constitutione, quae non pendet a singularum legum similitudine, et omittuntur Athenienses *διὰ τὸ μήτε τὰς αὐξήσεις ἐσχηκέναι κατὰ λόγον μήτε τὰς ἀκμὰς ἐπιμόνους μήτε τὰς μεταβολὰς ἐνηλλαχέναι μετρίως.* Neque porro idem est audiendus, cum dicit**), alios secutus***), Polybium ipsum diserte nihil se de illa legatione traditum invenisse declarare, argumenti loco afferens, quae ille addit narrationi de expeditione a. 229 in Illyricos facta (II. 12): *ἡ μὲν οὖν πρώτη διάβασις Ῥωμαίων μετὰ δυνάμεως εἰς τὴν Ἰλλυρίδα καὶ ταῦτα τὰ μέρη*

---

*) l. l. pag. 5.

**) l. l. pag. 6.

***) cfr. Cosman l. l. pag. 24.

τῆς Εὐρώπης, ἔτι δ'ἐπιπλοκὴ μετὰ πρεσβείας εἰς τοὺς κατὰ τὴν Ἑλλάδα τόπους τοιάδε καὶ διὰ ταύτας ἐγένετο τὰς αἰτίας. ἀπὸ δὲ ταύτης τῆς καταρχῆς Ῥωμαῖοι μὲν εὐθέως ἄλλους πρεσβευτὰς ἐξαπέστειλαν πρὸς Κορινθίους καὶ πρὸς Ἀθηναίους, ὅτε δὴ καὶ Κορίνθιοι πρῶτον ἀπεδέξαντο μετέχειν Ῥωμαίους τοῦ τῶν Ἰσθμίων ἀγῶνος. — Ἐπιπλοκὴν enim μετὰ πρεσβείας qualem Polybius significat, cum decemvirorum legatione nihil habere commune apparet.

Unus autem Cicero sufficit testis. Quod si concedis, de Polybio omnia valent eadem, quae de Cicerone statuimus: ne hic quidem praetermisisset silentio si missos esse legatos traditum invenisset. Quaecumque enim de Romanorum institutis cum Graecorum comparandis et ex illis derivandis apud Ciceronem invenimus, eadem exstant in Polybio: illa enim aut ad hunc ipsum aut ad Panaetium, quo et ipse Polybius utebatur, redire, supra iam commemoravimus. Quod, quamvis magna libri sexti pars sit deperdita, tamen quae servata habemus, satis ostendunt. Ut uberius comparat Cretorum et Lacedaemoniorum respublicas (45), Romanorum et Lycurgi (50 sq.), ut multus est de Romanorum et Carthaginiensium institutis et moribus conferendis, ita identidem quoque respicit Graecos: Romanorum in castris ponendis rationem confert cum ratione Graecorum (42. 1): ᾗ δοκοῦσι Ῥωμαῖοι καταδιώκοντες τὴν ἐν τούτοις εὐχέρειαν τὴν ἐναντίαν ὁδὸν πορεύεσθαι τοῖς Ἕλλησι κατὰ τοῦτο τὸ μέρος· οἱ μὲν γὰρ Ἕλληνες e. q. s. — Romanorum mores praefert graecis (56. 13): τοιγαροῦν χωρὶς τῶν ἄλλων οἱ τὰ κοινὰ χειρίζοντες παρὰ μὲν τοῖς Ἕλλησιν, ἐὰν ταλάντου μόνον πιστευθῶσι . . . οὐ δύνανται τηρεῖν τὴν πίστιν. παρὰ δὲ Ῥωμαίοις . . . — equitum arma a Graecis esse desumpta credit (25. 3 sq.): ὁ δὲ καθοπλισμὸς τῶν ἱππέων νῦν μέν ἐστι παραπλήσιος τῷ τῶν Ἑλλήνων . . , τὸ δὲ παλαιὸν . . . διόπερ ἀδοκίμου τῆς χρείας οὔσης, ταχέως μετέλαβον τὴν Ἑλληνικὴν κατασκευὴν τῶν ὅπλων . . — in universum de Romanis iudicat idem, quod Cicero (25. 11): ἃ συνιδόντες ἐμιμήσαντο ταχέως. ἀγαθοὶ γάρ, εἰ καί τινες ἕτεροι, μεταλαβεῖν ἔθη καὶ ζηλῶσαι τὸ βέλτιον καὶ Ῥωμαῖοι.*) —

*) neque non ad Polybium redeunt, quae de Tarquiniorum aetate apud alterum tradita videmus.

Quae cum ita sint, de Polybio idem quod de Cicerone coniectura augurati, eo his perducimur, ut ne auctorem quidem Polybii i. e. Fabium de legatis quicquam tradidisse, neque Polybii aetate quemquam, cuius quidem notionem habere potuerit, de legibus translatis cogitasse statuamus — ita ut recte nos supra iudicasse appareat, ante Stilonem leges comparasse neminem.

Hoc tamen de Polybio ne dubium esse possit, alterum accedit, quod per se minus fortasse haberet momenti, cum illo autem ubi est coniunctum, haud parvi faciendum: Ne Diodorus quidem, quem eundem antiquiore et sinceriore annalium scriptore usum esse scimus, sive Fabio in latinum verso sive alio, legationis mentionem facit, non, ut dicemus, quia afferre noluit, verum quia traditum de ea nihil invenit.

Neque aliter de Dionysii auctore iudicabimus: nam Dionysium ob eam ipsam causam e Valerio illa de legatis sumpsisse dicemus, quia ab auctore, quem in ceteris sequebatur, erant omissa.

Novum deinde argumentum et satis quidem firmum ducere possumus ex eis, unde supra profecti sumus: Sex. Aelium enim et Acilium legatos quidem Athenas esse missos scisse, neque tamen legum Atheniensium habuisse rationem cogitari potest, quippe quibus leges Solonis vix fuerint notae. De Aelio Stilone contra eiusdemque temporis viris doctis hanc quidem excusationem non accipiemus: si exstitisset illa narratio, quin ipsas leges quoque compararent, facere non potuissent. Neque enim Aelius, modo voluisset, leges Solonis cognoscere non potuit: Aelius, eorum temporum doctissimus graecis litteris non minus quam latinis, qui utriusque gentis antiquitatibus investigandis ipse dedit operam, quem fugere non potuerunt libri velut Demetrii περὶ τῆς Ἀθήνησι νομοθεσίας, e quo Posidonium hausisse vidimus, aut Theophrasti *e quo* — Cicerone ut utar*) — *omnium fere civitatum non Graeciae solum sed etiam barbariae leges cognovimus*, qui adire potuit Graecorum ipsorum doctissimos, Romae florentes (πολὺ γὰρ δή τι φῦλον ἀπὸ τῆς Ἑλλάδος ἐπιῤῥέον ὁρῶ κατὰ τὸ παρὸν τῶν τοιούτων ἀν-

*) Cic. de finib. V. 4. 11.

ϑρώπων iam a. 166 Polybius*) dicere potuit Scipioni adulescentulo), a quibus de Solonis legibus facile doceri potuisset.

Neque minus denique Cicero, cui annalium scriptores non fuisse incognitos infra videbimus, cum leges esse translatas nescit, ne de legatis quidem quicquam se accepisse demonstrat: congruunt igitur omnia**) ut de legatione antiquitus nihil fuisse traditum statuamus.

Quodsi totam narrationem recentiore demum aetate ortam esse concedimus: nisi postquam leges duodecim tabularum cum Solone comparaverunt similesque esse invenerunt, non est composita: nam ob eam ipsam causam illam fictam esse dicemus, ut mira illa cum externae gentis legibus similitudo quodammodo posset explicari. Sic enim rem cogita: qui leges quasdam decemvirorum paene ad verbum cum Solone congruere videbat — fuisse autem illas decimae tabulae de funerum sumptu luctuque minuendo, admodum videtur probabile — temporis ut erat indoles,***) illas ex hoc esse translatas suo iure statuebat, quocum necessario erat coniunctum, ut

*) Polyb. XXXII. 10. 7.

**) Recte quoque monet Helbig (*sopra le relazioni commerciali degli Ateniesi coll' Italia, Rendiconti d. Ac. d. Lincei* 1889 pag. 82), si illis temporibus, paucis annis ante Thuriam conditam, talis ex Italia advenisset legatio Athenas, fieri non potuisse, quin omnium in se converteret oculos et statim esset commemorata et ab Herodoto et Thucydide et comicis atticis. — Nihil nimirum est, quod Hertz. (*Jahrbb. f. Phil.* 123. pag. 287 sq.) de Romanorum legatione a Thucydide in Periclis illa oratione (II. 37) significata invenisse sibi visus est, quod idem iam antea protulerat Κόκκινος: *περὶ τῆς Ῥωμαικῆς δωδεκαδέλτου* Heidelb. 1836. pag. 9.

***) cfr. locos supra e Polybio Posidonio Cicerone allatos; adde Sall. de con. Cat. 51. 38: *maiores nostri neque consilii neque audaciae umquam eguere, neque illis superbia obstabat, quominus aliena instituta, si modo proba erant, imitarentur: arma atque tela militaria ab Samnitibus, insignia magistratuum ab Tuscis pleraque sumpserunt; postremo quod ubique apud socios aut hostes idoneum videbatur, cum summo studio domi exsequebantur; imitari quam invidere bonis malebant. Sed eodem illo tempore Graeciae morem imitati verberibus animadvertebant in cives, de condemnatis summum supplicium sumebant;* quocum loco conferas quaeso Arrian. ars tact. XXXIII. 2. sqq.

decemviros Atheniensium leges ante oculos habuisse poneret, illasque quomodo Romae cognoscere potuissent explicaret. Itaque Athenis Solonis e patria eas esse translatas, ob eamque causam missam legationem fingebat, de qua legatione ubi primum cogitavit, cum necessitate quadam sequebantur cetera.*) Tres enim ut mitterentur legati cum usu et consuetudine esset receptum — exempla collegit Mommsenus *St.-R.* II. 1. pag. 646 Anm. 5. — ad leges etiam transferendas elegit tres, quibus tum ex aetatis more nomina tribuit, et ea quidem e decemvirorum numero desumpta**); quo factum est ut et Sp. Postumius et A. Manlius et P. Sulpicius legati sint idemque decemviri; quod cur fecerit elucet, nec Valerius expressis verbis hoc addere omisit: cfr. Liv. 33. 5: ***his proximi habiti legáti tres, qui Athenas ierant, simul ut pro legatione tam longinqua praemio esset honos, simul*** quod ***peritos legum peregrinarum ad condenda nova iura usui fore credebant,*** et Dion. X. 56. 2141:

*) Adiuvit hanc sententiam, quod alii quoque legislatores ex aliorum populorum iuribus multa hausisse dicuntur; cfr. Diod. XII. 11. de Charonda: *οὗτος δὲ ἐπισκεψάμενος τὰς ἁπάντων νομοθεσίας ἐξελέξατο τὰ κράτιστα καὶ κατέταξεν εἰς τοὺς νόμους;* Strabo. VI. 260 de Zaleuco: *τῆς δὲ τῶν Λοκρῶν νομογραφίας μνησθεὶς Ἔφορος, ἣν Ζάλευκος συνέταξεν ἔκ τε τῶν Κρητικῶν νομίμων καὶ Λακωνικῶν καὶ ἐκ τῶν Ἀρεοπαγιτικῶν* . . . cfr. Plato. leg. III pag. 681 c.; neque ad aliud spectant, quae de itineribus a Solone et Lycurgo susceptis traduntur; (cfr. Mitteis: *Reichsrecht und Volksrecht* pag. 78).

**) Neque magis est mirum, quod posterioris aetatis homines a Lycurgo quoque leges esse desumptas addunt (Amm. Marc. XVI. 5. Symm. epist. III. 11 — at cfr. Aug. d. civ. dei II. 16). Lacedaemoniorum leges non minore auctoritate utebantur quam Solonis; itaque Romanos eas neglexisse videbatur improbabile. Idem est, quod Lyd. de mag. I. 42 Romanos legem *περὶ ἀσωτίας* (cura prodigi? V. 7 Sch) a Corinthiis sumpsisse scribit. Similis igitur lex Corinthi fuisse videtur, unde Romanos, qui legatos in Graeciam miserunt, hanc quoque translulisse colligebatur. Similius tamen est veri Lydum, quem Tarquinii et decemvirorum legationem confudisse vidimus, decemvirorum quoque legem cum Servii Tullii illa a Corinthiis desumpta confudisse (Cic. d. r. p. II. 36).

†) Miror, quod viri docti his nominibus tantam tribuerunt auctoritatem; etiam si revera missi essent legati, nomina tamen posteriore demum tempore addita esse censerem; exempla prorsus similia praebet Niese l. l. pag. 6 sqq.

καὶ ἀπεδείχθησαν . . . τρεῖς δὲ οἱ κομίσαντες παρὰ τῶν Ἑλλήνων τοὺς νόμους.

Quamquam cur hos potissimum elegerit si quaeris, neque potius Veturium aut Julium — hi enim uni qui legati fuisse potuerint e decemviris restant*) — nescio: dicendum tamen et Sp. Postumium et P. Sulpicium Valerio Horatio consulibus legatos militum fuisse (Liv. 70. 2), et A. Manlium quendam anno 394 legatum Delphos esse missum. (Liv. V. 28. 2). Talibus enim rebus, quae parvae videntur, magna saepe, praesertim cum de nominibus agatur est, tribuenda auctoritas.

Ea quoque proponi potest quaestio, cur hoc potissimum anno legatos esse missos sit traditum — quamquam ne ad hanc quidem respondere est difficile. Nam cum anno 451 decemviros magistratum inisse constaret, si anno proximo (450) profectos esse legatos enarrassent, tempus non suffecisset legationi tam longinquae, cui cur ne in antecedente quidem anno fuerit locus, cum e Livio tum e Dionysio apparet: duo enim ingentia mala famem pestilentiamque invasisse in urbem atque ne quid eo anno domi bellique ageretur effecisse, expressis quidem verbis tradit Dionysius X. 53. 2134.: *ἐπὶ μὲν δὴ τούτων τῶν ὑπάτων οὐδὲν ἐπράχθη Ῥωμαίοις διὰ τὰς νόσους οὔτε πολεμικὸν οὔτε πολιτικὸν εἰς ἱστορίας ἀφήγησιν ἐλθεῖν ἄξιον*, neque deest apud Livium, quamquam hic alia cum causa coniunctum, quae silentium tribunorum ad ipsam legationem refert (32. 1) . . *perpetuo silentio tribunorum, quod primo legatorum, qui Athenas ierant, legumque peregrinarum exspectatio praebuit, dein duo simul mala ingentia exorta* . . Dionysius vero quin sinceriorem servaverit rei memoriam, non videtur dubium. — Itaque is, qui legatos missos esse enarrare voluit, usque ad Sp. Tarpeium A. Aternium consules redire coactus erat.

Fortasse aliqua de his oriri posset dubitatio, si legatio illa artius esset coniuncta cum reliqua decemvirorum historia,

---

*) Appius Claudius et T. Genucius anno antecedente consules erant designati, quo eodem anno Sestius consul fuerat. Romilius eo ipso anno, quo profecti sunt legati, a plebe erat damnatus; itaque ne hunc quidem fuisse in legatorum numero erat probabile.

si omissa illa turbaretur rerum series: sed contra evenit. Sine ulla difficultate haec possunt secerni; neque enim quicquam legatione missa mutatur, immo post et ante prorsus eandem rerum esse condicionem e Livio apparet: postquam per octo annos legi de imperio consulari a Terentilio promulgatae patres restiterunt, nono cedunt tribuni; priorem illam legem mittentes, ut communiter legum latores et ex plebe et ex patribus, qui utrisque utilia ferrent, quaeque aequandae libertatis essent, sinerent creari petebant (Liv. 31. 7). Concedunt hoc patres, neminem vero nisi e suis laturum esse leges tenent; cumque de hac tantum re discreparet, interim legati Athenas sunt missi. Absunt hi anno proximo, quo urbs morbo vexatur, redeunt anno tertio. — Frustra vero ut statim decemviri creentur exspectamus: rursus enim existunt difficultates, quas Livius perstringit magis quam enarrat *domi motus orti; iam redierant legati cum atticis legibus, eo intentius instabant tribuni, ut tandem scribendarum legum initium fieret* (32. 6), et denuo illa oritur controversia, adminisceanturne plebei decemviris (32. 7). Nihil igitur his tribus annis sumus consecuti. — Jam si addis, probasse Nitzschium illa de tribunorum priore lege abiecta novaque forma prolata ad Livii auctorem redire, qui duas traditiones inter se diversas conglutinare studuerit,*) res absolvitur: haec et legationem si omittimus, una restat et continua narratio; per decem illos post rogationem Terentiliam annos eaedem de lege controversiae erant enarratae, donec Menenio tandem et Sestio consulibus ad exitum aliquem res erat perducenda, siquidem proximo anno traditi erant decemviri.

Dionysium contra, quae de legatis profert, ipsum alio ex auctore inseruisse iam vidimus, neque, credo, erravimus cum auctorem, quem in ceteris sequebatur, totam narrationem praetermisisse statueremus. Ipsi vero, cum de tribunorum

*) Quaeri potest, cur hoc anno illud factum esse tradiderit, et nescio an haec sint dicenda: Tarpeio Aternio consulibus legem de multis esse latam Valerius traditum invenit; ipsum vero talem legem iam Valerio Publicolae tribuisse videri, itaque hanc novam afferre opus non habuisse iam diximus. Ne vero lege sua annum consulesque fraudaret, cum his consulibus, quae de lege mutata ei erant dicenda, coniunxit.

priore lege mutata agere non posset, quippe qui eam tantum nosset legem, ad quam — Livium si sequimur — tum demum transierunt tribuni, alio modo legatio cum ceteris erat coniungenda. Incidit ergo in illa de Romilio (X. 50. sqq.), illumque a tribunis quidem damnatum tamen tribunorum legem suasisse enarrat, — cuius mutati consilii ipse longa Dionysiana oratione dat rationem, — et ne frustra hoc fecisset, Siccium ei poenam condonare voluisse adiungit, quod munus ille nimirum non accipit, sed deis consecrat — quae omnia quam inepte sint excogitata nemo non videt. Et rursus, haec si omittimus, omnia sibi constant: nono illo anno collegis damnatis novi consules perterriti φανερῶς τὰ τοῦ δήμου πολιτευόμενοι διετέλουν (50. 2124), et populum ut conciliarent, legem de multis rogarunt; anno proximo fames pestilentiaque tribuni ut silerent efficiebant, anno sequente denuo de lege ortae sunt turbae, donec tribuni Appium adire coguntur et illo auctore decemviri creantur.

Itaque illa ipsa, quae de legatis sunt tradita, ad eundem perducunt finem, ad quem reliqua: scilicet recentissimo demum tempore haec ceterarum rerum narrationi esse inserta.

Id unum restat, ut quo tempore a quo haec de legatis narratio sit inventa, accuratius definiamus, in universum postquam illud statuimus, ea demum aetate eam esse ortam, qua utriusque gentis legibus comparatis similitudo illa apparuerat. Quod quoniam Aelii tempore nondum factum esse demonstravimus, terminum, post quem narratio illa sit composita, invenimus. Nimirum quod supra, rem ut explicarem, fingebam, scilicet qui leges comparasset earumque similitudinem invenisset, eundem simul legationem quoque sibi effinxisse — re vera ita factum esse sumi nequit: immo diversis utrumque esse ortum temporibus est probabilius. Unus, antiquitatum sine dubio investigator, qui legibus operam dedit, romanas cum Soloneis congruere vidit, atque illas ex his esse translatas collegit, quomodo tamen hoc esset factum non curavit, haud aliter atque Cicero, quem Posidonium secutum leges translatas quidem commemorare, legationis vero mentionem non facere vidimus. Alius tum sequebatur, rerum certe scriptor, qui

prioris studia excipiens, translationis rationem ut redderet, legationem addidit, atque quemadmodum exposuimus instruxit.

Neque temporis ratio hoc non patitur: et primum de Aelii aetate certi nihil comperimus, nisi eum Q. Metellum Numidicum anno 100 in exilium esse comitatum; qui cum anno 109 consulatu sit functus, post annum 155 natus esse vix potest. Jam Stilonem, siquidem patria pulsum sequebatur, illi amicitia coniunctum et eiusdem fere aetatis fuisse dicemus. Praeterea familiariter utebatur Caelio Antipatro, quem historias suas ad illum misisse docet auctor ad Herennium 4. 18: ergo hos quoque aetate fuisse coniunctos videtur probabile. Caelium autem aequalem fuisse Fannii, anno 175 nati, anno 122 consulatu functi*) Cicero tradit (de leg. I. 6), et in historia enarranda usque ad annum 121 esse progressum fragmenta docent. — Utrumque si coniunginus, Aelium circiter anno 160 natum esse conicere possumus. Quo anno sit defunctus non minus est dubium; Cicero se adulescentem anno 90 cum audisse testatur (Brut 207), neque ita multo post mortuus esse videtur; aequalis enim fuit ut vidimus Caelii, quem vetustiorem fuisse Sisenna (119/67) Velleius**) tradit, ita ut de Aelio idem statuendum videatur. Eiusdem Sisennae, qui ipse igitur minor natu erat Aelio, aequalis fuit Valerius, et quidem si ordini, quo singuli a Velleio enumerantur, quicquam tribuendum est, minor natu erat Rutilio, qui post annum 77 mortuus est, et Claudio Quadrigario, post quos nominatur. Et quoniam, qui primo loco affertur, Rutilius, quamquam quadraginta fere annos maior erat quam Sisenna, tamen eius dicitur fuisse aequalis, nihil obstat, quominus Valerium Sisennae etiam superfuisse existimemus.

Scripsisse enim Antiatem ante Sisennam minime concludi potest e Frontonis epistula ad Ver. I. 1 ubi legimus haec: ***historiam quoque scripsere Sallustius structe, Pictor incondite, Claudius lepide, Valerius invenuste, Sisenna longinque, verbis Cato multiiugis, Caelius singulis.*** Enumerari enim vides scrip-

*) Teuffel *R. L. G.* § 137. 4.

) Vell. II. 9. 6: ***vetustior Sisenna fuit Caelius, aequalis Sisennae Rutilius Claudiusque Quadrigarius et Valerius Antias. Sane non ignoremus eadem aetate fuisse Pomponium.*

tores non aetatis ratione habita, nisi forte Sallustius ante Pictorem floruit, sed stili. Itaque Valerium circiter inter annum 75 et 60 scripsisse videtur probabile, praesertim cum hunc fuisse, qui novissimus priorum annales coniunxerit atque historiam romanam, qualem nos legimus, effinxerit, cum alia reddant verisimile, tum vel inde eluceat, quod Livius hunc potissimum sumebat, quo suis in historiis auctore uteretur.*)

Sed utut res se habet, satis inter Valerium et Aelium intercedit temporis, ut hunc quidem neque legum translatarum neque legationis missae ullam habuisse cognitionem, illius autem aetate non modo legum similitudinem repertam, verum etiam legationem fictam annalibusque insertam fuisse, mirum esse nequeat.

Accedit autem, quod ex eis, quae disputavimus, sequi mihi quidem videtur, ut ipsum Valerium fuisse cum dicamus, qui primus si non de legatis cogitaverit at certe totam narrationem historiae inseruerit.

Coniunctam enim esse vidimus legationem cum eis, quae proferuntur de tribunorum priore lege abiecta: his enim ipsis legatos ut mittant adduci patres, tribuni postquam cesserunt, ipsos quoque aliquantulum plebi morem gesturos, neque illis omissis ullum legationi restare locum. Iam quoniam illa a Valerio esse inventa Nitzschium secuti statuimus, nihil aliud relinqui videtur de legatis. Neque est quisquam, quem talia finxisse sit probabilius quam Valerium, illum, quem rerum romanarum historiae fidem omni veritate posthabita obscurasse, historiamque fabulis quam maxime exornasse et amplificasse inde a Livio omnes clamant. Sed sunt alia, quae idem si non comprobant at certe confirmant: Primum si unus Valerius de legatione verba fecit, Dionysii auctorem illam ignorasse par erat neque est cur offendamus: qua tamen de re, si narratio illa apud tertium exstitisset, et Valerio quidem vetustiorem, e quo ut ille sic hic quoque haurire potuisset, nostro iure miraremur. Tum quod probavimus Ciceronem ante libros de legibus neque translationis neque legationis habuisse notitiam, cum uno Valerio narrationis auctore convenit. Nam cum

*) Nissen. l. l. pag. 46.

Cicero, si quis scriptorum, quos noverat, legationem enarrasset, ipse quoque eam nosse si non debuisset, at certe potuisset, iam ubi de uno Valerio quaeritur, res plane est alia: neque enim Ciceronem Valerii ullam habuisse cognitionem, scripta eius satis nobis ostendunt, in quibus nulla Valerii fit mentio. Quod ne casu factum esse statuas, obstat locus in libro de legibus primo, quo scriptores sibi cognitos Cicero recenset (§ 6): *nam post annales pontificum maximorum . . . si aut ad Fabium aut . . . ad Catonem aut ad Pisonem aut ad Fannium aut ad Vennonium venias . . . Fannio autem aetate coniunctus Antipater . . . ecce autem successere huic belli Clodius, Asellio . . . nam quid Macrum nominem? Sisenna eius amicus . . .*

Quod hoc loco ne verbo quidem dignum putat Valerium, multo nimirum est gravius, quam quod Asconius dicit ad Ciceronis Cornelianam pag. 61 frgm. 25 M.: *et videtur in hac quidem oratione hunc auctorem* (Valerium) *secutus Cicero dixisse, passum esse Scipionem, secerni a cetero consessu spectacula senatorum;* hanc enim meram esse coniecturam, quae nihil probet, ex ipsis Asconii verbis elucet, et in antiquiorum quidem temporum historia se Valerio non esse usum, eis quae in eadem illa oratione de decemviris profert, satis Cicero demonstrat. (Ascon. pag. 67. frgm. 49.)

Quae omnia si comprehendimus, Valerium ut legum illam similitudinem paullo ante inventam, quae occupabat nimirum virorum doctorum animos, explicaret, illam de legatis narrationem effinxisse, simile videtur veri.

Illud nimirum diiudicari nequit, quis legum illam similitudinem primus animadverterit: certe eum non fuisse Posidonium temporum ratio docet; vetustior enim est Valerius, quam ut illius inventis uti potuerit. Relinquitur ergo, ut utrumque tertius aliquis antecesserit, totius traditionis vere auctor, qui cum Valerio tum Posidonio, utriusque ut erat ingenium, materiam praebuerit.

Haec postquam exposuimus, vix erit opus ut rem haud ita probabilem Valerium sibi effinxisse demonstremus, et hac

quoque ex parte recte nos de legationis origine iudicasse probemus. Unum tamen et gravissimum afferam: non quaesivit Valerius, neque quaesiverunt, qui Valerium secuti sunt, num omnino illa aetate a Romanis legatio Athenas missa esse potuerit; quod si fecissent, illis quidem temporibus Romanis et Atheniensibus nullum fuisse commercium invenissent. Neque enim Athenienses ipsi ad Latii aut Etruriae oras appulisse post Helbigii egregiam disputationem*) dicendi sunt, neque Romanos ipsam Graeciam et Atticam adisse ullum exstat vestigium; multa quidem debent Graecis, sed Graecis Italiam et Siciliam incolentibus.**)

Quarto demum saeculo***) cum Veientibus****) et Samnitibus†) bella gerentes a deo Delphico oracula expetisse videntur††): cetera vestigia, quae ad Atticam aut reliquam Graeciam ducunt, posterioris demum sunt aetatis; inter quae illud est primum, quod anno 291 Epidauro Aesculapium transtulerunt.†††) — Commercium igitur cum Athenis non erat: sine quo tamen legatio illa cogitari nequit; nam legatos ignota via ignotam ad urbem, ignotorum hominum leges ut transferrent esse missos, quis credet?

Sunt etiam alia, quae hoc loco dici possint: sed melius postea, ubi de ipsis legibus agemus, perstringentur; et quid omnino opus insuper refutare, quae tradita non fuisse demonstravimus?

Ad novam igitur transimus quaestionem.

---

*) *sopra le relazioni commerciali degli Ateniesi coll' Italia* l. l.

**) v. quae contulerunt Saalfeld, *Italograeca*, Hannov. 1882. pag. 29 sq, et O. Weise: *Rh. M.* 38. pag. 561 sq.

***) Tarquiniorum enim illa Delphos ad Apollinem legatio (Cic. de r. p. II. 24. 44; cfr. Schwegler *R. G.* I. 2, 775 sqq.) fabulis videtur esse adnumeranda. cfr. Niebuhr: *Vortr. üb. R. G.* I. pag. 200.

****) cfr. Schwegler *R. G.* III. pag. 212 sq., 228 sqq.

†) Plin. n. h. XXXIV. 12. 26.

††) auctoribus scilicet Italiae Graecis aut Massiliensibus, quorum in thesauro crateram Apollini dedicatam deponebant.

†††) *aber die Ursachen dieses Schrittes waren in dem regen Verkehr mit den sicilischen, dem Aesculap huldigenden Städten begründet;* Weise l. l. pag. 562.

Aliud est enim, in quo offendamus: similitudinem illam, quam inter XII tabulas Graecorumque leges interesse animadverterunt, quomodo esset orta si explicare studuerunt: quid omnino erat causae, ut de legatione illa cogitarent: nonne quae illam explicaret, alia exstabat narratio, antiquitus, ut dicunt, tradita? quae Graecos aliquid ad condendum ius romanum contulisse diserte dicebat? non opus fuit legibus ex Graecia per legatos translatis: in ipsa urbe praesto fuisse ferunt Graecum, qui decemviris in legibus scribundis consilio adfuerit, Hermodorum Ephesium. Cur hoc auctore graeca illa in XII tabulas pervenisse, sumere dubitabant?

Vides esse, quod de hac quoque re dubitantes nos faciat, certe ut in hanc quoque diligentius inquiramus, postulet. *)

Et primum quis fuerit ille Hermodorus satis quidem constat. Haud raro enim commemoratur; quamquam, si unus alterve auctorum deficeret, ad illum nil faceret. Nam unam tantum eandemque omnes de eo norunt historiam, quam redire apparet ad unum dictum Heracliti philosophi. Heracliti enim ille fuerat amicus, ab Ephesiis propter virtutum praestantiam patria pulsus; de quo civium ingrato animo acerbis verbis in libro suo cum Ephesiis conquestus erat philosophus, cuius cum dicto noto ac pervulgato coniunctum Hermodori quoque nomen fatumque posteris tradebatur. Commemorant eum nescio quos auctóres secuti: Cicero (Tuscul. disp. V. 105): *est apud Heraclitum physicum de principe Ephesiorum Hermodoro: universos ait Ephesios esse morte multandos, quod cum civitate expellerent Hermodorum, ita locuti sint: Nemo de nobis unus excellat; sin quis exstiterit, alio in loco et apud alios sit*, — Diogenes Laertius (IX. 1. 2): *καθάπτεται δὲ καὶ τῶν Ἐφεσίων* (sc. *ὁ Ἡράκλειτος*) *ἐπὶ τῷ τὸν ἑταῖρον ἐκβαλεῖν Ἑρμόδωρον, ἐν οἷς φησιν: ἄξιον Ἐφεσίοις ἡβηδὸν ἀποθανεῖν πᾶσι, καὶ τοῖς ἀνήβοις τὴν πόλιν*

*) cfr. Gratama: *oratio de Hermodoro Ephesio vero XII tabul. auctore.* Groningen 1817, Zeller: *de Hermodoro Ephesio et Hermodoro Platonico* Marburg 1849. Steinhausen. l. l. pag. 10 sq. 15 sqq. a quo in summa rerum non dissentio (cfr. Hilscher: *Homin. litterat. Graec. in urb. Rom. commorator. hist. crit.;suppl. annal. philol.* 1891. pag. 356.)

κxτxλιπεῖν, οἵτινες Ἑρμόδωρον ἑωυτῶν ὀνήιστον ἐξέβxλον λέγοντες, ἡμέων μηδὲ εἷς ὀνήιστος ἔστω, εἰ δέ τις τοιοῦτος, ἄλλῃ τε καὶ μετ' ἄλλων. — Stobaeus, (pag. 237 περὶ ξένης): καὶ ἐκβάλλονται πολλοὶ τῆς πατρίδος ἀδίκως καὶ ὅτι ἤδη τινὲς ἄνδρες ἀγαθοὶ ὄντες ἐξηλάθησαν ὑπὸ τῶν πολιτῶν. ὥσπερ Ἀθήνηθεν μὲν Ἀριστείδης ὁ δίκαιος, ἐξ Ἐφέσου δὲ Ἑρμόδωρος, ἐφ' ᾧ καὶ Ἡράκλειτος ὅτι ἔφυγεν ἡβηδὸν ἐκέλευεν Ἐφεσίους ἀπάγξασθαι. — Strabo. (XIV. 1. 25. pag. 642): ἄνδρες δ' ἀξιόλογοι γεγόνασιν ἐν αὐτῇ (sc. Ἐφέσῳ) τῶν μὲν παλαιῶν Ἡράκλειτός τε ὁ σκοτεινὸς καλούμενος καὶ Ἑρμόδωρος, περὶ οὗ ὁ αὐτὸς οὗτός φησιν· ἄξιον Ἐφεσίοις ἡβηδὸν ἀπάγξασθαι, οἵτινες Ἑρμόδωρον ἄνδρα ἑαυτῶν ὀνήιστον ἐξέβαλον φάντες, ἡμέων μηδεὶς ὀνήιστος ἔστω. εἰ δὲ μὴ ἄλλῃ τε καὶ μετ' ἄλλων; epistulas Heracliti quae dicuntur, hoc loco praetermitto.

Hue igitur accedunt, qui eundem Hermodorum exulantem Romam quoque venisse atque ad decemvirorum leges aliquid contulisse tradunt. Quorum in numero — temporum ordinem si sequimur — primus tractandus est *Strabo.* Idem est locus, cuius partem priorem supra attulimus: nam post Heracliti illud dictum, satis quidem, ut vidimus, pervulgatum, additum est: δοκεῖ δὲ οὗτος ὁ ἀνὴρ νόμους τινὰς Ῥωμαίοις συγγράψαι; et additum quidem ut videtur ab ipso Strabone, qui quod nescio quo loco invenerat — ipse historiae Romanorum enarrandae dederat operam — hoc loco inseruit. — Neque vero quae profert ita profert, quasi nulli dubitationi sint subiecta; immo pro certo nihil affirmat, neque vult affirmare: ipse de fide narrationis admodum videtur dubitasse, neque enim συγγράψαι νόμους Hermodorus dicitur, verum: δοκεῖ . . . νόμους τινὰς συγγράψαι. Quaenam illae leges fuerint, expressis quidem verbis non dicitur; temporum vero ratio ceterorumque testimonia Strabonem quoque de XII tabulis cogitasse demonstrant.

Hoc loco quae desideramus invenimus apud *Plinium* (n. h. XXXIV. 11.21), qui ubi de statuis agit earumque variis generibus et formis, atque quae primae a veteribus Romanis sint positae, enumerat, *fuit,* inquit, *et Hermodori Ephesii* (sc. statua) *in comitio, legum, quas decemviri scribebant, interpretis, publice dicata.* Statuam ipsam illis quidem temporibus non iam exstitisse haec ipsa verba satis ostendunt: *fuit* enim, neque nos erraturos esse credo, si illam aut Sullae dictatoris

temporibus, curia cum aedificaretur, ut Pythagorae illam et Alcibiadis,*) aut postea P. Clodii funere curia incensa, ut Atti Navii**), quacum coniuncta Hermodori illa apud Plinium nominatur, deletam esse statuemus. Itaque Plinium haec ex alio vetustiore sumpsisse colligitur. Et quis ille auctor fuerit***) cum probabilitate quadam dicere nos posse confido, sane non ea ingressos via, qua Steinhausenus****) Varronem illum fuisse iactavit magis quam probavit — cui praeterquam quod Plinium nas ipsas res, quae ad opera artificiaque pertinerent, saepe e Varrone hausisse omnes consentiunt, illud quoque Varronem significare videtur, quod cum de multis aliis artificiis, tum de Hermodori statua non qua arte facta sint etc., sed ad quod factum pertineant, quaerit —, quamquam ad eundem finem nos quoque perveniemus, sed ipso Plinii libro inspecto.

Enumerantur igitur singulae illae apud Plinium statuae nullo inter se coniunctae vinculo, nullo servato ordine, neque locorum, quibus steterint, neque temporum, quibus positae neque causarum ob quas dicatae referantur, neque denique desunt, quae inter se sint contraria — unde disputationem quidem continuam non subesse, verum res undique congestas in ordinem quendam redactas esse cognoscimus. Errares autem, si omnia ad litterarum monumenta redire statueres: neque enim statuas, quas suis etiam temporibus exstitisse ipse Plinius testatur, quas cottidie oculis videre potuerit, e libris cognoscere opus habuit; ita ut si huius capitis auctores quaerimus, — Duilii,*****) Horatii Coclitis,†) Sibyllae,††) regum in Capitolio †††) statuae ob hanc ipsam causam neglegendae esse videantur. Cetera contra ex auctoribus omnia fluxere, et maximam quidem partem ad annalium scriptores redire videntur. Sic nomine afferuntur Piso et Antias 8. 14,

*) Plin. n. h. XXXIV. 12. 26. Niebuhr *R. G.* II. pag. 349. Anm. 708.

**) Plin. n. h. XXXIV. 11. 21.

***) cfr. Urlichs : *d. Quellenregister z. Plin. letzten Büchern.* Würzburg 1878 pag. 9 sq.

****) l. l. pag. 17 sq.

*****) 11. 20.

†) 11. 22.

††) 11. 22.

†††) 11. 22. 23.

Piso et Annius 13. 29 (de Cloeliae sive Valeriae statua), unus Piso 14. 30; in universum annales laudantur 11. 24: *non omittendum videtur, quod annales adnotavere* (de statuis legatorum a Teuta regina caesorum) atque iterum 11. 25: *meritum eius ipsis ponam annalium verbis* (de Taracia Gaia sive Fufetia;)*) neque non ex annalibus sunt sumpta, quae profert de statuis C. Maenii et Camilli (cfr. Liv. VIII. 13. 9), L. Minucii (cfr. Liv. IV. 16. 2 — Dion. XII. 4), Marci Tremuli (cfr. Liv. IX. 43. 22), quattuor illorum legatorum (cfr. Liv. IV. 17. 6), Cn. Octavii. Congruit, quod in auctorum indice primo loco rerum scriptores L. Piso et Antias nominantur.

Restant adhuc Navii et Hermodori statuae, de quibus ab annalium scriptoribus, quibus quidem usus sit, certior factus esse nequit: illam enim P. Clodii funere i. e. anno 52 conflagrasse enarrat, quod factum est multum post Valerium; de Hermodoro autem neque Pisonem neque Antiatem quicquam tradidisse vel inde sequitur, quod neque Livius neque Dionysius ullam illius mentionem faciunt. — Verrium, tertium Plinii auctorem, ad quem prior libri pars redire videtur, haec non sapiunt: restat igitur, qui quarto loco affertur, Varro, cuius vestigia nescio an iam in antecedentibus possint deprehendi; comparari possunt, quae proferuntur de Corintho capta (inprimis 3. 7), de Harmodii et Aristogitonis aetate (9. 16; cfr. Gell. XVII. 21. 7), fortasse etiam quae habet de L. Accio poeta (10. 19: *notatum ab auctoribus*) et de primo simulacro ex aere facto (9. 15).

Itaque his potius fretus e Varrone illud de Hermodoro haustum esse affirmaverim: iam etiam illa vim suam habent, quae in universum afferuntur a Steinhauseno.

Quaeritur autem, num incorrupta Varronis sententia servata sit; unum enim esse dicemus, quo haec Pliniana a Strabonis illo loco quam maxime differant: Plinium quasi certa ac firmata proferre, quae ille non sine aliqua dubitatione tetigerit. Neque tamen sequitur, Varronem quoque tam certis verbis esse usum; non alienum esset a Plinii ingenio auctoris verba ita mutasse, praesertim cum ne in ceteris quidem recte auctore suo usus esse videatur: nam quid omnino

*) cfr. Gell. n. a. VII. 7.

fecerit Hermodorus ex illo non discimus, leges certe ipsas — quod apud Strabonem invenimus — non conscripsit, interpres fuisse dicitur *legum, quas decemviri scribebant*, quae verba nullam aliam mihi admittere videntur interpretationem, quam quae Niebuhrio*) placuit, scilicet auctorem quidem Plinii dixisse, Hermodorum leges graecas Athenis transportatas ad usum decemvirorum in latinum transtulisse, Plinium autem ipsum properante stilo rem obscurasse.

Neque cum hac Plinii neque cum Strabonis illa sententia congruunt, quae profert tertius, *Pomponius* (Dig. I. 2. 2. 4), quem si sequimur, Hermodorus auctor fuit Romanis, ut novas leges conscriberent. Nam postquam a decemviris leges e Graecia petitas, et priore quidem anno decem tabulas confectas, altero duas additas esse enarravit, ita pergit: — *et ita ex accedenti appellatae sunt leges duodecim tabularum, quarum ferendarum auctorem fuisse decemviris Hermodorum quendam Ephesium, exulantem in Italia, quidam rettulere.*

Unde haec sumpserit, nimirum nescimus; id unum apparet, nihil esse cur ad Varronem haec redire dicamus;**) illud tamen dicendum, quamvis diversa a ceteris proferantur, rursus inveniri illam dubitationem: non constat de Hermodoro, sed *quidam rettulere.*

Ad Strabonem denique reducimur eis, quae ultimo loco sunt afferendae, *epistulis Heracliti*, quae dicuntur, Christiano aevo compositis.***) Hermodorum enim Heracliti amicissimum Romanis conscripsisse leges, rhetori, quicumque epistulas composuit, compluribus locis largam fingendi dabat materiam, et admodum quidem est iucundum spectare, quomodo illam traditionem, quam ubi invenerit, utrum in vita aliqua Heracliti an in libro aliquo περὶ ἐνδόξων ἀνδρῶν conscripto, diiudicare non possumus, suum in usum converterit. Tota fere epistula octava hac in re versatur: Heraclitus petit ab amico, ut se de tempore, quo in Italiam sit profecturus, certiorem faciat: p. 81 Bernays. δήλου μοι, Ἑρμόδωρε, πότε ἀπαίρειν κέκρικας εἰς Ἰταλίαν· δέξαιντό σε οἱ ἐκείνης τῆς χώρας θεοὶ καὶ δαίμονες ἡδέως· ὄναρ ἐδόκουν

*) *R. G.* II. 349. Anm. 707.

**) ut Steinhausen. l. l. pag. 18.

***) Bernays: *d. Heraclit. Briefe.* Berlin 1869. pag. 112.

τοῖς σοῖς νόμοις τὰ παρὰ πάσης τῆς οἰκουμένης διαδήματα προσιέναι καὶ κατὰ τὸ ἔθος τῶν Περσῶν ἐγκλώμενα ἐπὶ στόμα προσκυνεῖν αὐτούς. οἱ δὲ σεμνῶς πάνυ καθειστήκεσαν. προσκυνήσουσί σε Ἐφέσιοι μηκέτι ὄντα, ὅταν οἱ σοὶ νόμοι πᾶσιν ἐπιτάττωσι, καὶ τότε χρήσονται αὐτοῖς ἀναγκαζόμενοι. pag. 82: *Σίβυλλα ἐν πολλοῖς καὶ τοῦτο ἐφράσθη ἥξειν σοφὸν Ἰταλίησιν ἐξ Ἰάδος χώρης· εἶδέ σε πρὸ τοσούτου αἰῶνος Ἑρμόδωρε, ἡ Σίβυλλα ἐκείνη καὶ τότε ᾖσθα, Ἐφέσιοι δὲ οὐδὲ νῦν βούλονται ὁρᾶν, ὃν διὰ θεοφορουμένης γυναικὸς Ἀλήθεια ἔβλεπε;* pag 83: *οὗτοι μὲν χαιρόντων, σὺ δέ μοι δῆλον τὸν καιρὸν τοῦ ἐξόδου· πάντως ἐντυχεῖν σοι βούλομαι καὶ περί τε ἄλλων πάνυ συχνῶν καὶ περὶ αὐτῶν τῶν νόμων βραχέα εἰπεῖν.* Neque ad aliud*) spectant verba, quibus Heraclitus in epistula nona Hermodorum consolatur de exilio: Bern. pag. 94: *ἔσονται κρείσσους, Ἑρμόδωρε, οἱ πεισθησόμενοι τοῖς σοῖς νόμοις. μὴ χαλέπαινε. μαντεύεται τὸ ἐμὸν ἦθος ὅπερ ἑκάστῳ δαίμων, ναί, πεισθήσονται ὧν ἔσται καὶ τὸ σύμπαν κράτος μιμησαμένων φύσιν.* —

Quae omnia quamvis sint amplificata et exornata, traditionem illam scriptori innotuisse elucet, et eandem quidem, quam unus servavit Strabo; ita ut haec ad illum redire, etiamsi non ex ipso sint hausta, admodum videatur probabile. Nimirum quod ceteri ut dubium tradiderunt, hic res facta est certissima.

Haec sunt, quae de Hermodoro tradita habemus: quae omnia quamvis in eo congruant, ut Hermodorum cum XII tabularum legislatione coniungant, in singulis tamen quam maxime differunt. Quid tandem fecerit Ephesius ille nescimus: *νόμους συνέγραψεν* secundum Strabonem, interpres legum nominatur a Plinio, auctor denique legum fuisse videtur Pomponio. Accedit, quod neque Strabo neque Pomponius hanc suam sententiam quasi certam ac firmatam proferre audet, ita ne ipsum quidem certa tradita invenisse ostendens.

Jam vero Romae in comitio statuam fuisse Hermodori Plinio auctore docemur, neque fuisse eam negari potest: illud negamus, ex statua illa colligere potuisse viros doctos, adiuvisse Hermodorum decemviros, ut illud, quomodo adiuverit, omittam. Nam in statua illa praeter nomen Hermodori aliud quicquam

*) Bernays. l. l. pag. 99.

fuisse inscriptum et per se parum est probabile, neque quae supra attulimus hoc admittunt. Illud enim si sumis, cur et Strabo et Pomponius non certa proferunt? aut si hos statuam ipsam non iam vidisse dices, nonne in hoc eum congruant, ne vetustiores quidem certa scisse demonstrant? nulla tamen de Hermodoro decemvirorum socio debuit esse dubitatio, si qua erat, ipsius statuae verbis facillime potuit tolli. Aut quomodo factum esse dices, ut et Strabo et Varro ita de Hermodoro discreparent, si quid fecisset Hermodorus, statua ipsa docebat? Itaque quod legebatur inscriptum, unum erat, ut dixi, Hermodori nomen.

Ni igitur litterarum monumenta accedunt, statuae vix quicquam auctoritatis tribuere possumus; sed ne haec quidem exstitisse facile intellegitur. Omitto vel ipsa illa auctorum dubitatione ac dissensione ne in litteris quidem quicquam fuisse traditum, reddi probabilius: ipsos enim habemus rerum scriptores, non recentiores illos quidem, a Livio qui pendent, sed vetustiores istos et sinceriore fonte usos; nam hos, decemviros in legibus scribundis adiutos esse ab Hermodoro Graeco senatumque illi ob id ipsum decrevisse statuam, quam ipsi videbant in comitio, silentio potuisse praeterire, modo esset factum, nemo facile concedet. Frustra vero in his requires Hermodorum: neque Polybius, ut docet Cicero, neque Diodorus, neque Valerius Antias, neque denique Dionysii auctor verbum de eo faciunt; qui idem cum ad alios et diversos quidem auctores redeant, ne ceteris quidem Ephesium illum fuisse cognitum demonstrant. Quo ex annalium silentio quid sit colligendum apparet, neque aliis argumentis fuerit opus; sunt vero, quae maiorem etiam nostrae sententiae addunt fidem. Sumamus enim traditum fuisse, Hermodorum adiuvisse decemviros: quid fuit causae, ut ita memoria eius posteris temporibus oblitteraretur? cur usque ad Ciceronis aetatem Graecos aliquid decemvirorum ad leges contulisse Romani nesciunt? cur tandem legum similitudinem postquam animadverterunt, legationem fingebant? illam enim qui explicaret, praesto erat Hermodorus, neque alio opus fuit invento; cur denique Cicero, ubi mentionem Ephesii inicit, verba facit quasi de ignotissimo hominum? si tantum illum ad condendum ius romanum con-

tulisse scisset, verbo quidem illud perstrinxisset, quamvis statuam illam tum quidem non iam videret, quamvis graeco uteretur auctore, neque locutus esset ita: *est apud Heraclitum physicum de principe Ephesiorum Hermodoro* . e. q. s. (Tusc. V. 105). —

Quae omnia si comprehendimus, nihil aliud traditum fuisse elucet, quam statuam quandam in comitio, Hermodori nomine inscriptam, neque vero fuisse quicquam, quod illam Hermodoro Heracliti amico propter operam ad XII tabulas collatam a populo romano esse dicatam probaret. Quod eo facilius concedemus, si quantopere ista narratio tota sit contra veritatis speciem consideraverimus. Primum ut temporum rationem habeamus, non parvae, si Hermodorum cum decemviris coniungere volumus, existunt difficultates. Heracliti philosophi Hermodorum fuisse amicum iam vidimus, unde eiusdem utrumque fuisse aetatis fit verisimile. Heraclitus autem, ut Diogeni Laertio contra Eusebium testem suspectum fidem habeamus,*) undeseptuagesima olympiade (504/500) floruit, neque multum post saeculi initium librum confecisse putandus est. Quo tamen iam in libro de Hermodoro pulso conqueritur: neque igitur multum a vero aberrabimus, si illum optimatium partium fautorem et ob hanc ipsam causam Persarum amicum**) anno circiter quingentesimo, cum Joniae urbes a rege deficerent, tyrannosque ex oppidis eicerent, patria pulsum esse dicemus; nam quam philosophus nominat unicam exilii fuisse causam nemo facile credet. Neque porro admodum iuvenis tum quidem fuisse potest, si quidem tanta eius visa est populo potentia, ut patria ei interdicerent. Idem vero ille Hermodorus Heracliti temporibus iam inter cives excellens, dimidio saeculi post decemviros adiuvisse dicitur: admodum senem tum eum fuisse sumendum est, si duas illas res coniungere volumus. Sed hoc fieri potuisse***) ut concedamus

*) cfr. Zeller l. l. pag. 9. sqq. et *Philos. d. Griech.* I. pag. 566 Anm. 2.

**) cfr. Bernays. l. l. pag. 19. sqq.

***) etiam Zellero tam gravis haec res est visa, ut Romanorum Hermodorum non fuisse eundem atque Heracliti amicum coniceret (*de Hermodor.* etc. pag. 15), cum Schwegler (*R. G.* III pag. 20, Anm. 2), Hermannum (*de phil. Jon. aetat.* Gotting. 1849. pag. 10. 22) secutus, Eusebio de aetate Heracliti adstipularetur.

neque cur Romam barbarorum illam in urbem venerit, quaeramus, atque exulem tanta ibi usum esse auctoritate, ut ad leges civitatis condendas adhiberetur, cogitemus: statuam publice, id est senatus auctoritate*), ei esse positam, novam affert dubitationem. Prima esset statua publice Romae dicata, de qua quidem sit traditum**), nisi forte Horati Coelitis aut Cloeliae statuas illis ipsis temporibus, quibus dicuntur, positas fuisse censes — et talem honorem homini graeco, qui, nostros auctores si sequimur, νόμους τινὰς συνέγραψεν aut interpres fuit legum, quas alii scribebant, tributum esse nobis persuadebimus? *hoc a republica tribui solebat iniuria caesis*, ut ait Plinius n. h. XXXIV. 11. 24, et haec iusta sane est causa et e more temporis: Hermodorum autem aut vivum aut mortuum tali honore dignum esse habitum difficile est credere. Sed hoc quoque ut concedamus, etiam illud credemus, statuam illam, quae in comitio stetisse dicitur, anno 390, cum urbs a Gallis capta esset ac deleta, urbis ruinis superfuisse?

Non credo pluribus esse opus: statua illa, quam cum decemviris cohaerere nihil probasse supra demonstravimus, omnino cum illis coniuncta fuisse nequit, quamquam stetisse ibi statuam negare non possumus neque volumus.

Sed posteris illis temporibus, cum Graeciae civitatibus subiectis, Asia devicta urbs repleretur et exornaretur omni artificiorum genere, in immensa illa statuarum silva undique congesta Hermodori quoque cuiusdam Romam esse delatam statuam ibique positam, nihil est cur miremur: *adeo enim*, ut Plinii (XXXIV. 15. 32) verba afferam, et haec quidem fortasse e Varrone desumpta: *discrimen omne sublatum, ut Hannibalis etiam statuae tribus locis visantur in ea urbe, cuius intra muros solus hostium emisit hastam.*

Posterioris tum aetatis homines, antiquitatis monumentorum studia cum florerent, quaerebant nimirum, quid statua illa sibi vellet, cumque nihil haberent traditum mirabantur,

*) Mommsen. *St.* — *R.* III 2. pag. 1184 sq.

**) cfr. Detlefsen: *de arte Romanorum antiquissima* II. Programm v. Glückstadt 1861.

atque causam, cur esset posita, suo iure desiderabant; qua eadem fere aetate etiam leges quasdam XII tabularum cum graecis congruere animadverterunt, atque huius quoque rei causam reddere studebant. Iam vero Romanis alius Hermodorus atque amicus ille Heracliti fuit ignotus, illum autem a civibus pulsum, procul a patria vitam degisse sciebant: res igitur ferebat, ut eum hoc statuam illam coniungerent. Sed accedebat aliud, quod Ephesium quendam venisse Romam, redderet probabilius: placuit scilicet ea aetate hominibus antiquitatum studiis deditis, ut ceteros Graecos sic Ephesios quoque contulisse quaedam ad Romanorum instituta: iam Servius Tullius Ephesiae Dianae fanum Asiaeque urbium conventum imitatus, Dianae in Aventino templum condidisse Latinorumque urbes in unum consociasse dicitur, Liv. I. 45. 2: *iam tum erat inclitum Dianae Ephesiae fanum; id communiter a civitatibus Asiae factum fama ferebat; eum consensum deosque consociatos laudare mire Servius inter proceres Latinorum* ... cfr. Dion. IV. 25; (Aurel. Vict.) d. vir. ill. 7. 9; Accedebat, quod deae simulacrum in Aventino dedicatum plane respondebat illi, quod Massilienses colebant,*) Ephesios imitati; Strabo IV. 180: *καὶ δὴ καὶ τὸ ξόανον, τῆς Ἀρτέμιδος τῆς ἐν τῷ Ἀβεντίνῳ οἱ Ῥωμαῖοι τὴν αὐτὴν διάθεσιν ἔχον τῷ παρὰ τοῖς Μασσαλιώταις, ἀνέθεσαν;* nec non camillarum vittae plane eaedem esse videbantur, quam eae, quibus Graeci Ephesiorum deam exornare solebant; Dion. II. 22: *ταῦτα παρὰ Ῥωμαίοις αἱ προσαγορευόμεναι (κάμιλοι) συντελοῦσι, στεφάναις κοσμούμεναι τὰς κεφαλάς, οἵαις κοσμεῖται τὰ τῆς Ἐφεσίας Ἀρτέμιδος ἀφιδρύματα παρ' Ἕλλησιν.*

Talia qui animadverterunt, sine dubio Ephesum et Romam quodammodo fuisse coniunctas statuebant, et ita Ephesium quendam venisse Romam, ibique statua esse honoratum, minus fortasse videbatur mirum.

Cur vero cum decemviris Hermodorum coniungerent aliae erant causae: ea enim videtur exstitisse sententia, ut Heraclitum, a quo cives, ut leges sibi scriberet, petisse constabat,**) ita et Hermodorum eius in re publica socium legum

*) cfr. Schwegler. *Röm. G.* I. 2. pag. 681; Preller. *Röm. Myth.*[3] I. pag. 320.

**) cfr. Diog. Laert. IX. 1. 2: *ἀξιούμενος δὲ καὶ νόμους θεῖναι*

fuisse peritum:*) iam suas leges cum Graecis conspirare videbant; statuam Graeci iuris periti in comitio habebant; eadem fere hic vixit aetate, qua illae erant latae: quid igitur miramur, hominem qui haec omnia circumspiceret, legum illam similitudinem rettulisse ad Hermodorum?

Neque nimirum idem ille ignorabat, multas in Graecia quoque urbes gaudere legibus latis ab hominibus e diversissima civitate ortis:**) sufficiet revocasse ad Aristot. Politic. B. 12. 1274 a: *νομοθέται δὲ ἐγένοντο Ζάλευκός τε Λοκροῖς τοῖς Ἐπιζεφυρίοις καὶ Χαρώνδας ὁ Κατανχῖος τοῖς αὑτοῦ πολίταις καὶ ταῖς ἄλλαις ταῖς Χαλκιδικαῖς πόλεσι ταῖς περὶ Ἰταλίαν καὶ Σικελίαν . . . . ἐγένετο δὲ καὶ Φιλόλαος ὁ Κορίνθιος νομοθέτης Θηβαίοις . . .* 1274. b *ἐγένετο δὲ καὶ Ἀνδροδάμας Ῥηγῖνος νομοθέτης Χαλκιδεῦσι τοῖς ἐπὶ Θρᾴκης.*

Similiter igitur Hermodorum quoque leges scripsisse Romanis videri potuit verisimile; quamquam ne totius quidem narrationis auctor hanc ut certam protulisse putandus est, ita ut — si ad nostros auctores revertimur — unus Strabo, — epistulas excipimus, — priorem et sinceriorem traditionem servasse videatur: *δοκεῖ δὲ οὗτος ὁ ἀνὴρ νόμους τινὰς Ῥωμαίοις συγγράψαι.* Varro contra, qui Hermodorum decemviris interpretem praesto fuisse dicit, hanc de Hermodoro traditionem iam coniunxisse mihi videtur cum altera illa de legatione: sumpsit enim, decemviros leges per legatos petisse a Graecis, Hermodorum tum has esse interpretatum, quasi tres illi, qui Athenas missi Solonis leges descripserant, non ipsi eas intellegere potuissent! sed uti debuissent Graeco, qui in latinum eas transverteret, Neque minus utramque traditionem coniungere voluit ille, a

---

πρὸς αὐτῶν ὑπερεῖδε διὰ τὸ ἤδη κεκρατῆσθαι τῇ πονηρᾷ πολιτείᾳ τὴν πόλιν; Jambl. XXX. 173: *οὐ γὰρ, καθάπερ Ἡράκλειτος γράψειν Ἐφεσίοις ἔφη τοὺς νόμους, ἀπάγξασθαι τοὺς πολίτας ἡβηδὸν κελεύσας, ἀλλὰ μετὰ πολλῆς εὐνοίας καὶ πολιτικῆς ἐπιστήμης νομοθετεῖν ἐπεχείρησαν* (sc. Χαρώνδας Ζάλευκος alii).

*) Heracl. epist. III. VII. IX. cfr. Bernays. l. l. pag. 84 sq.

**) cfr. Mitteis l. l. pag. 78.: *die Überlieferung hat die Rechtsweisung oft an den Namen einzelner Männer angeknüpft.*

***) alia suppeditabunt Fabricius-Harless *bibl. graeca* II. pag. 1 sqq.; Mitteis l. l.

quo Pomponius ista hausit de Hermodoro XII tabularum ferendarum auctore. —

Revera unum cum altero coniungi nequit: haec quoque de Hermodoro narratio legum illam similitudinem post Aelium inventam vult explicare; eadem fere aetate est orta, qua altera illa de legatis. Et si illam a Valerio inventam esse nobis persuasimus, haec ex eius orta esse videtur ingenio, qui magis doctus a Graecis, Graecorum sequeretur exempla.

Quis ille fuerit, ne hic quidem quaeri potest: Varronem enim illum fuisse, quod ponebat Steinhausenus, non iam credemus: nam Strabonem ex illo haec hausisse et per se parum est credibile et negabit qui hunc sinceriorem traditionem servasse concesserit. Neque mirum, si illis temporibus, quibus studia litterarum vigebant ut numquam postea, unius traditionis auctorem deprehendere non possumus; et rectius certe videtur, nescire nos confiteri, quam quis ille esse potuerit, incerta coniectura quaerere.

His ad finem deductis omnia quae adhuc disputavimus, paucis comprehendere erit utile: Graecos igitur contulisse aliquid ad decemvirorum leges antiquitus quidem non erat traditum: usque ad primi saeculi initium qui illud sciat, nullus exstat scriptor. Illis tum temporibus, quibus omnia romana ad Graecorum exempla referre studebant, neque ante Aelium neque post Valerium, similitudinem quandam inter XII tabulas Solonisque leges interesse viri docti animadverterunt, quam casu non esse ortam rati explicare studuerunt. — Sed cum de re consentirent, de causa dissentiebant: unus a legatis Athenas missis Solonis leges descriptas Romamque translatas esse fingebat, alter illam de Hermodoro decemvirorum in ipsa Roma socio fabulam invenit. Illa narratio a rerum scriptore primum prolata et a rerum scriptoribus recepta omnium tum consensu accepta est ac pervulgata, huius pauca tantum exstant vestigia, posteriorum errore obscurata.

Nulla igitur his narrationibus inest auctoritas: itaque ne illis quidem fidem habendam esse sequitur, qui ut Cicero et Gaius certas quasdam leges e Solone derivant: illius enim auctor leges translatas esse ex similitudine collegit, hic ipsa illa falsa de legatis narratione ut legum similitudinem observaret, adductus est.

Iam quoniam cetera fabulis adnumeranda esse vidimus, unum illud relinquitur, quod ansam dedit ad fabulas illas inveniendas: fuisse quaedam in tabularum lege Soloni similia. Hinc igitur ut a certis et nostro quoque iudicio subiectis est proficiscendum: dubium enim adhuc est, quanta fuerit illa similitudo et qualis, et quomodo sit explicanda — an nobis quoque ad Solonem et Athenas sit redeundum.

Quae ratio inter Graecorum leges decemvirorumque tabulas intercesserit quaesituri ea nimirum re quam maxime impedimur, quod, cum Posidonii aetate integrae exstarent tabulae, integrae quoque Solonis leges, nobis temporum iniquitate pauca tantum neque semper certa supersunt fragmenta, ita ut quanta illa fuerit similitudo certe numquam possit definiri. Sufficiet igitur ex eis, quae servata habemus, coniecturam fecisse de deperditis. Neque enim ex eis, quae Romanorum scriptores supra allati de universa ratione inter utrasque leges intercedente proferunt, quicquam nos proficere, nisi ut Cicero et Gaius de certis quibusdam legibus agant, sponte elucet: Livio quidem legatos Athenas a decemviris missos Solonisque leges descriptas Romamque translatas esse enarranti fidem habebant, ipsas autem leges ignorabant; quid igitur mirum, quod invenimus, qui XII tabulas aut totas aut maximam quidem partem e Solone translatas esse pronuntient? modo ne nobis cum his sit disputandum; et per se illud absurdum est, neque ita ab antiquioribus traditum. Non desunt nimirum, qui minus inepta proferant, sed ne his quidem, quippe qui non ex ipsarum legum cognitione hauserint, plus tribuemus auctoritatis.

Ad primarios igitur auctores ut redeamus, admodum mihi quidem dignum videtur commemoratione, Livium, qui legationem fusius enarrat, qui in XII tabularum legislatione

pluribus verbis commoratur, de Graecorum legibus a decemviris receptis ne verbum quidem facere: enarrat, ut vidimus, legatos ad leges Solonis describendas aliarumque Graeciae civitatium instituta mores iuraque noscenda Athenas esse missos, redisse eum atticis legibus, in decemvirorum numerum esse receptos *simul ut pro legatione tam longinqua praemio esset honos, simul quod peritos legum peregrinarum ad condenda nova iura usui fore credebant* — usos autem esse decemviros alienis illis legibus, e Livii quidem verbis non apparet. Invenimus, quod desideramus, apud Dionysium, et mirum sane esset, si hic, qui omnia romana ad Graecos referat,*) qui Romanos ipsos Graecos fuisse credat,**) leges a Graecis translatas silentio praeteriisset. Quam maxime tamen abest a posteriorum erroribus; neque enim ignorat in tabularum lege inesse multa plane diversa a Graecis***) (XI. 44: *ἀλλ' ὑπὲρ τῶν Ῥωμαικῶν νόμων, οὓς ἐν ταῖς δώδεκα δέλτοις ἀναγεγραμμένους εὕρομεν, οὔτε μηδένα ποιήσασθαι λόγον ἥρμοττεν, οὔτω σεμνῶν ὄντων καὶ τοσαύτην ἐχόντων διαφορὰν παρὰ τὰς Ἑλληνικὰς νομοθεσίας, οὔτε* e. q.s.), multa a decemviris e maiorum consuetudine moribusque desumpta: duas igitur, ubicumque XII commemorat, distinguit partes, veteres leges a decemviris probatas, novas Athenis arcessitas: II. 27: *ὅτε πρῶτον ἐφάνη Ῥωμαίοις, πάντας τοὺς πατρικοὺς ἐθισμούς τε καὶ νόμους ἅμα τοῖς ἐπεισάκτοις ἐν ἀγορᾷ θεῖναι φανερούς . .* ; X. 55: *τούτους δὲ τοὺς ἄνδρας ἔκ τε τῶν πατρίων ἐθῶν καὶ ἐκ τῶν Ἑλληνικῶν νόμων, οὓς ἐκόμισαν οἱ πρέσβεις, ἐκλεξαμένους τὰ κράτιστα καὶ τῇ Ῥωμαίων πόλει πρόσφορα νομοθετήσεσθαι*; X. 57: *οὗτοι οἱ δέκα ἄνδρες συγγράψαντες νόμους ἔκ τε τῶν Ἑλληνικῶν νόμων καὶ τῶν παρὰ σφίσιν ἀγράφων ἐθισμῶν προὔθηκαν ἐν δέκα δέλτοις.*

Cavendum tamen est, ne his quoque locis nimium ponderis tribuamus: leges illum comparasse et invenisse quae viderentur similia concedemus, quod translata illa esse dicit, non assentiemur. Neque enim hac quidem in re nostrae

---

*) Peter: *z. Krit. d. Quell. d. ält. röm. Gesch.* pag. 29. Schwegler *R. G.* I. 98.

**) Dionys. I. 5.

***) cfr. etiam X. 51: *οἵτινες (οἱ πρέσβεις) αἰτησάμενοι παρὰ τῶν Ἑλλήνων τοὺς κρατίστους νόμους καὶ μάλιστα τοῖς ἡμετέροις ἁρμόττοντας βίοις οἴσουσι δεῦρο.*

actatis iurisconsultis videtur dissimilis: ne illi quidem, nisi falsa illa de legatis traditione essent decepti, umquam de legibus translatis cogitassent; illa cum exstaret neque de fide eius dubitari posse censerent, similitudinem reperire studuerunt, etiam ubi nulla erat, neque si qua apparuit, ad Solonis exemplum revocare destiterunt.*) Neque eos deterrebat, quod, quamvis multi legibus comparandis operam dederint, ne unus quidem invenit leges, quae plane consentirent, quod omnibus Romanos leges non integras transtulisse sed suum in usum mutasse erat concedendum.

Atqui inter omnes omnium temporum gentiumque leges inveniuntur similitudines et maiores etiam quam quas inter XII tabulas Solonisque leges interesse volunt, quas tamen translatas esse nemo dicit.**) Cur tandem aliter iudicant de Graecis et Romanis, qui tam arta coniuncti sunt cognatione, qui tantam naturae vitae linguae prae se ferunt similitudinem?***) Nisi forte Romani — pauca ut afferam exempla — cum in decem mensibus gigni hominem scriberent,****) distinguerent inter furtum manifestum et nec manifestum, gravius consulerent in furem nocturnum quam in diurnum,†) iudicem pecuniam accepisse convictum puniendum censerent††) — a Graecis haec didicisse putandi sunt.

*) pleraque collegit Hofmann l. l. pag. 19 sqq; adde quae profert Bernhöft: *Zeitschr. f. vergl. Rechtsw.* I. pag 28 sq.; *Staat u. Recht d. röm. Königszeit*, pag. 229 (de sacramento, de vindicatione in libertatem, de actione in iure et in iudicio) et Mommsen *R. G.* I. 433 (de poena furti nec manifesti).

**) cfr. Post: *Bausteine f. e. allgem. Rechtswissensch.* I. pag. 11 sqq. pag. 62; *Anfäng. d. Staats- u. Rechtsleb.* pag. 4; et quae disputavit Bernhöft: *über Zweck und Mittel d. vergl. Rechtswissensch.*; und: *Grundlag. d. Rechtsentwickelg. b. d. indogerm. Völkern* (*in Zeitschrift f. vergl. Rechtsw.* I et II).

***) in tanta omnium rerum similitudine legum similitudinem parvam esse censet Puchta, *Inst.* I. § 54: *eher bedürfte es einer Erklärung, warum diese Verwandschaft auf das Recht e. so unbedeutenden Einfluss gehabt hat, warum sie hier so viel weniger sichtbar ist*, *als in der Sprache*, cum tanta visa sit Leistio, ut librum scripserit: *gräco-italische Rechtsgeschichte.*

****) IV. 4 Sch. cfr. Hofmann l. l. pag. 21.

†) VIII. 12/16 Sch. cfr. Hofmann l. l. pag. 30.

††) IX. 3 Sch. cfr. Hofmann l. l. pag. 32.

In frequentissimo illo Romanorum cum Graecis commercio pauca peregrina in leges quoque irrepsisse cogitari potest, et irrepsisse quaedam postea videbimus: maiorem legum partem de industria translatam esse cogitari nequit.*) Hoc qui sumunt, id unum demonstrant, se quid decemviris in legibus scribundis fuerit propositum, non respexisse. Plebei enim, cum decemviri ut crearentur flagitarent, non novas leges cupiebant, sed certas: neque enim querebantur, quod leges, quibus utebantur, essent iniustae, sed quod ipsis ignotae; creati igitur sunt decemviri, ut legibus litteris mandatis, quid singulis in causis ius esset appareret, ut legibus aequatis eodem iure omnes uterentur; Mommseni**) ut utar verbis: *das Gesetz der zwölf Tafeln ging aus einem Compromiss der Parteien hervor und kann schon darum tiefgreifende, über nebensächliche und blosse Zweckmässigkeitsbestimmungen hinausgehende Aenderungen des bestehenden Rechts nicht wohl enthalten haben*; et paullo post: *die wesentliche politische Bedeutung lag weit weniger in dem Inhalt des Weisthums, als in der jetzt förmlich festgestellten Verpflichtung der Consuln nach diesen Rechtsformen und diesen Rechtsregeln Recht zu sprechen, und in der öffentlichen Ausstellung des Gesetzbuches* . . . , cuius sententiam eo plus valere dicemus, quod idem illam de legatis narrationem ut veram recepit (pag. 280). Neque ipsos Romanos hoc fugit; nam si excipimus quae in universum a Dionysio proferuntur, haud paucae sunt leges, quae iam ante decemviros valuisse vel a regibus ipsis latae esse dicuntur***): quibus testimoniis

*) Schwegler *R. G.* III pag. 17 sq: *Überhaupt beruht jene ganze Ansicht auf einer irrtümlichen Vorstellung von dem Rechtsleben der Völker. Keinem Volke des Altertums ist es je eingefallen, sein Privatrecht nach fremdem Vorbilde zu ordnen, am wenigsten dem römischen, das sich von jeher durch zähe Anhänglichkeit an das nationale Herkommen und durch stolze Verachtung alles fremdländischen ausgezeichnet hat.*

**) *R. G.* I. pag. 282. cfr. Niebuhr: *Vorträg. üb. röm. Gesch.* I. pag. 303 sq.; Schwegler III. pag. 1 sqq.

***) exempla collegerunt Schwegler. *R. G.* III. pag. 17. Anm. 2, et Schöll l. l. pag. 51. quibus addas: ad tab. VIII. 24/25 (de parricidio): Plut. Rom. 22; Fest. pag. 221 M.; Serv. i. Verg. georg. III. 387, eclog. 4. 43; — ad IX. 1 (de privilegiis non irrogandis): Cic. pro. Sest. 30; — ad IX. 5 (de proditione): Dionys. III. 30. — Numa quoque lamentationi-

quamvis nulla insit auctoritas,*) nulla tamen ad vetustiorem aetatem lex refertur, de qua hoc non videatur probabile. Ergo quia decemviri, si quid mutarunt, pauca tantum neque quae ad summam legis pertinerent mutarunt, ne a Graecis quidem multa aut magna recepisse possunt.

Nimirum denuo singularum legum reliquias comparare et ne unam quidem — quam quidem volunt recentiores — translatam esse ostendere, non est huius loci: neque enim quemquam qui leges legerit, fugere potest, et in eo plerique fere et philologi et historici et veteres iurisconsulti consentiunt,**) si Romani in tabularum lege quicquam debuerint Graecis, pauca tantum fuisse et parva, velut illa, quae translata a Cicerone et Gaio sint tradita; satis igitur habeo revocasse ad priores,***) ad Steinhausenum****) potissimum, qui singulas ad leges quae ad opinionem illam refutandam sufficiunt, diligentissime adnotavit.

Nos, quibus id potissimum est propositum, ut quae antiqui tradunt recenseamus atque ad fontem quasi reducamus, recentiorum errores mittamus et ad veteres auctores redeamus. Cavendum enim est, ne dum illos refutare studeamus, neglegamus ea, quae ab his recte sunt observata; et restant adhuc leges tabulae decimae, quas fere omnes esse Solonis Cicero testatur, neque minus illae, quas Gaius cum Solone comparat. His enim, quicumque traditionem ut veram tenent, quasi certissimo argumento nituntur, neque qui illam mittunt, de his

---

bus modum constituit: Plut. Num. 12; cfr. X. 4); laudatur Numae *περὶ τοὺς ὁρισμοὺς τῶν κτήσεων νομοθεσία*: Dionys. II. 74. (cfr. VII. 2;) eiusdem *κατὰ τέχνας διανομὴ τοῦ πλήθους*: Plut. Num. 17; (cfr. VIII. 28) ad eandem legem cfr. Dionys. IV. 43.

*) de ratione quae intercedit inter leges regias quae dicuntur et leges XII tabul. cfr. Schöll l. l. pag. 50 sqq.; in universum vid. Jörs.: *Röm. Rechtsgesch.* I. pag. 59 sqq.

**) Osenbrüggen: *Neue Jahrbb.* 1840. Bd. 28. 1. pag. 269 sqq.; Lange: *Röm. Altert.* I. 460; Niebuhr *R. G.* II. 344; *Vortr.* I. 298. Schwegler III. 18. Irving: *Introduction of the study of the civil law.* 12 sqq. Puchta, *Instit.* I. § 54; Zumpt: *Criminalrecht d. röm. Republ.* I. 1. 346; alii. —

***) Cosman l. l. pag. 37 sqq.; Lelièvre l. l. pag. 137 sqq.

****) l. l. pag. 28 sqq.

consentiunt, ita ut in his explicandis disputationis cardinem verti appareat.

Ipsas vero prinsquam aggrediamur, iterum illud ut maximum est tenendum nihil nisi legum quandam similitudinem illos probare, quae de Solone proferant, addidisse e coniectura.

Et Ciceronis quidem verba (de leg. II. 59 sqq.) supra cum de auctore eius quaereremus in rerum continuatione iam tractavimus; itaque quao ad hanc quaestionem faciant, paucis in memoriam redegisse sufficiet. Postquam igitur in illa de decemvirorum tabula decima disputatione primam legem tractavit, *iam cetera*, inquit, *in duodecim minuendi sumptus sunt lamentationisque funebris, translata de Solonis fere legibus*; deinde paucis, ut vidimus, perstringit leges de rogo non poliendo, de sumptu tribus riciniis, uno clavo purpurae, decem tibicinibus extenuando, de mulierum denique lamentatione tollenda: qua in lege, ubi de „lessi" voce interpretanda agit, rursus Solonis mentionem facit *quod* (L. Aelii interpretationem) *eo magis indico verum esse, quia lex Solonis id ipsum vetat.* — Ceterae de sumptu minuendo leges secuntur, et nova instituitur quaestio, qua in § 64 Solonis mentione facta ad ea quae antea perstrinxerat reducitur: *posteaquam, ut scribit Phalereus, sumptuosa fieri funera et lamentabilia coepissent, Solonis lege sublata sunt, quam legem eisdem prope verbis nostri decemviri in decimam tabulam coniecerunt; nam de tribus riciniis et pleraque illa Solonis sunt, de lamentis vero expressa verbis sunt: mulieres genas ne radunto, neve lessum funeris ergo habento.*

Est sane cur doleamus, Ciceronem non accuratius quae leges cum Solone congruerent explicasse, cum Solonis reliquiae hac in re nos deficiant: nunc ut res est, quoniam Ciceroniana ad optimum auctorem redire vidimus, ut legem de tribus riciniis et lamentatione tollenda, sic cetera quoque, quae quidem ad sumptum luctumque minuendum pertineant,*) maximam partem Solonis legibus similia fuisse, negari non debet; prae-

*) omittendae igitur sunt leges de mortuo in urbe non sepeliendo (X. 1), de rogo alienas aedes non adiciendo (X. 9), de foro bustove non usucapiendo (X. 10).

sertim cum pauca, quae e Solonis funerali lege servata habemus, fidem Ciceroni addant. Haec enim tradit Plutarchus (Sol. cap. 21): ἐπέστησε δὲ καὶ ταῖς ἐξόδαις τῶν γυναικῶν καὶ τοῖς πένθεσι καὶ ταῖς ἑορταῖς νόμον ἀπείργοντα τὸ ἄτακτον καὶ ἀκόλαστον . . . . ἀμυχὰς δὲ κοπτομένων καὶ τὸ θρηνεῖν πεποιημένα, καὶ τὸ κωκύειν ἄλλον ἐν ταφαῖς ἑτέρων ἀφεῖλεν· Ἐναγίζειν δὲ βοῦν οὐκ εἴασεν, οὐδὲ συντιθέναι πλέον ἱματίων τριῶν· οὐδ' ἐπ' ἀλλότρια μνήματα βαδίζειν, χωρὶς ἐκκομιδῆς; quibus addere possumus titulum quendam, in Cea insula repertum, quo Julidos urbis lex funebris continetur,*) ad Solonis legis exemplum, ut recte Koehlerus**) monuit, conscripta; Z. 1—6: οἵδε νόμοι περὶ τῶγ καταφθιμένων· κατὰ τάδε θάπτεν τὸν θανόντα, ἐν ἱματίοις τρισὶ λευκοῖς στρώματι καὶ ἐνδύματι καὶ ἐπιβλέματι, ἐξεῖναι δὲ καὶ ἐν ἐλάσσοσι μὲ πλέονος ἀξίοις τοῖς τρισὶ ἑκατὸν δραχμέων. Z. 8—10: φέρεν δὲ οἶνον ἐπὶ τὸ σῆμα μὲ πλέον τριῶν χᾶν καὶ ἔλαιον μὲ πλέον ἑνός, τὰ δὲ ἀγγεῖα ἀποφέρεσθαι. Quae si coniungimus, habemus quae respondeant Romanorum de tribus riciniis lamentatione sumptuosa respersione legibus. Neque iniuria haec translata esse sumebat Posidonius, sive qui eum antecessit: si una lex cum Solone congrueret, velut illa apud omnes populos pervulgata de lamentatione tollenda, non aliter de hac iudicaremus, ac de illis, quas nostrae aetatis homines translatas esse dicunt; sed insunt leges cum certis quibusdam numeris (tria ricinia, decem tibicines etc.), agitur de unius tabulae legibus continuis: quod haec cum Solonis lege congruunt, casu factum esse nequit; aliquo modo haec inter se cohaerere concedendum est, neque tamen decemviros haec transtulisse Athenis, ex ipsius Solonis legibus.

Primum enim est tenendum, decemvirorum tabulam non integram Solonis legem continuisse: desunt quae addit Plutarchus, deest tota illa lex de mortuo componendo (προθεσία) et efferendo (Demosth. adv. Macart. pag. 1071), tum ne in eis quidem, quae habet, plane cum Solone consensisse: *translata* sunt *de Solonis fere legibus — eisdem prope verbis — pleraque Solonis sunt.* Ipsis verbis secundum Ciceronem una illa lex de mulierum lamentationibus expressa esse dicitur, illa igitur

*) *Mitteilungen d. athen. Instit.* I. (1876) pag. 139 sqq.
**) l. l. pag. 148.

lex, quae ab omnibus fere legislatoribus simili modo est lata: hanc ipsam Solonis legem Plutarchus Epimenidi Cretensi adscribit Sol. cap. 12: οὕτω δὲ μετάπεμπτος αὐτοῖς ἧκεν ἐκ Κρήτης Ἐπιμενίδης ὁ Φαίστιος . . . ἐλθὼν δὲ καὶ τῷ Σόλωνι χρησάμενος φίλῳ, πολλὰ προσυπειργάσατο καὶ προωδοποίησεν αὐτῷ τῆς νομοθεσίας. Καὶ γὰρ εὐσταλεῖς ἐποίησε ταῖς ἱερουργίαις καὶ περὶ τὰ πένθη πραοτέρους, θυσίας τινὰς εὐθὺς ἀναμίξας πρὸς τὰ κήδη, καὶ τὸ σκληρὸν ἀφελὼν καὶ τὸ βαρβαρικόν, ᾧ συνείχοντο πρότερον αἱ πλεῖσται γυναῖκες; similia igitur in Creta valuisse dicendum erit; Lycurgus luctus finem constituit, Plut. Lyc. cap. 27: χρόνον δὲ πένθους ὀλίγον προσώρισεν, ἡμέρας ἕνδεκα; Conferri possunt quae Plato praecipit (leg. XII. 9. pag. 960: δακρύειν μὲν τὸν τετελευτηκότα ἐπιτάττειν ἢ μὴ ἄμορφον, θρηνεῖν δὲ καὶ ἔξω τῆς οἰκίας φωνὴν ἐξαγγέλλειν ἀπαγορεύειν . . .); Charondae similis lex tribuitur, Stob. XLII. pag. 289. Χαρώνδα Καταναίου προοίμια νόμων: . . χρὴ δὲ καὶ τῶν τελευτώντων ἕκαστον τιμᾶν, μὴ δακρύοις μηδὲ οἴκτοις, ἀλλὰ μνήμῃ ἀγαθῇ καὶ τῇ τῶν κατ' ἔτος ὡραίων ἐπιφορᾷ; nec non apud Judaeos idem valuit. (Lev. 19. 27, 28; Lev. 21. 5.; Deuter. 14. 1) — Huic igitur legi non multum est tribuendum auctoritatis, et si Plutarchus ipsa legis verba servavit, (ἀμυχὰς δὲ κοπτομένων, καὶ τὸ θρηνεῖν πεποιημένα, καὶ τὸ κωκύειν ἄλλον ἐν ταφαῖς ἑτέρων ἀφεῖλεν) ne verbotenus quidem conspirasse possunt.

Ad cetera ut veniamus, omnibus fere antiquitatis populis minus cultis proprium fuisse videtur, ut in honoribus mortuo tribuendis modum excederent; neque potest credi qui mores Athenis Solonis tempore fuerint, quique Romae decemvirorum lege sublati sint, eos aliis in urbibus non valuisse; ergo aliis quoque locis ad eundem luctum et sumptum minuendum eisdem fere legibus erat opus. Quid quod etiam in Lacedaemoniorum severa illa et Romanorum reipublicae simili civitate prohibitoriae illae leges — ut ita dicam — vel Lycurgo erant ferendae? quae quamvis in singulis discrepent, eosdem tamen respiciunt mores, quos decemvirorum tabula; Plut. Lyc. cap 27: καὶ μὴν καὶ τὰ περὶ τὰς ταφὰς ἄριστα διεκόσμησεν αὐτοῖς. πρῶτον μὲν γὰρ ἀνελὼν δεισιδαιμονίαν ἅπασαν, ἐν τῇ πόλει θάπτειν τοὺς νεκροὺς . . . οὐκ ἐκώλυσεν . . ἔπειτα συνθάπτειν οὐδὲν εἴασεν, ἀλλὰ ἐν φοινικίδι καὶ φύλλοις ἐλαίας θέντες τὸ σῶμα περιέστελλον· ἐπιγράψαι δὲ τοὔνομα θάψαντας οὐκ ἐξῆν τοῦ νεκροῦ . . . χρόνον δὲ πένθους ὀλίγον

προσώρισεν. — Et si Plutarcho teste Chaeroneae eadem fere quae Athenis valebant (Sol. cap. 21. l. l. ὧν τὰ πλεῖστα καὶ τοῖς ἡμετέροις νόμοις ἀπηγόρευται), si Julidos legislatores Solonis exemplum sequebantur: in Italia quoque graecae erant urbes, Romanis artissimo commercio antiquitus coniunctae; absurdumne videbitur, si has quoque ad similem luctum sumptumque tollendum Solonis exemplo usas esse dicemus, ab his tum didicisse Romanos?

Romanis enim inde ab antiquissimis temporibus cum graecis in Italia et Sicilia urbibus frequentissimum fuisse commercium, neque ullam fere vitae religionis scientiarum artium esse partem, ad quam exemplum Graecorum non contulerit, inter omnes constat neque exemplis probari opus est.*) — Itaque si leges transtulerunt, inde transtulerunt, unde cetera omnia acceperunt, non ex ipsa Graecia, quacum nullum eis fuisse commercium iam vidimus. Sed cum leges, quas a Graecis acceperunt, Soloni essent similes, ex ionica urbe illas translatas esse dicemus: sequitur igitur, ut a Chalcidicis quae dicuntur Italiae coloniis illas acceperint. Inter quas omnes longe eminent Cumae, unde iam Tarquiniorum aetate *influxit non tenuis quidam rivulus sed abundantissimus amnis illarum disciplinarum et artium* (Cic. de rep. II. 19. 34), qua cum urbe inde ab illa aetate artissimo vinculo coniunctos fuisse Romanos res ipsae clamant**): a Cumanis scribendi usum litterarumque formas didicerunt, a Cumanis Sibyllae oracula, Sibylla suadente graecos deos et cultus transtulerunt, a Cumanis vasa fictilia acceperunt, a Cumanis, ut videtur, olivi et fici usum, insignia magistratuum, ludos,

*) cfr. quae collegerunt O. Weise: *Rh. M.* 38. 540 sqq.; et: *d. griech. Wörter im Latein* (herausgeg. v. Fürstl. Jablonowsk. Ges.) Leipz. 1882; Saalfeld: *Italograeca*, Hannov. 1882 et: *d. Hellenismus in Latium* 1883; Mommsen *R. G.* I. pag. 125 sqq; Schwegler *R. G.* (vide indicem s. v. *griech. Colon.* et *griech. Einfluss*); Niese in J. Müller, *Handb. d. Kl. Alt.* III. C. 2. 587 sq.

**) Weise: *Rh. M.* 38. pag. 553 sqq., quem ego sequor; Saalfeld *Italograeca* pag. 13. sq.; Preller: *Röm. Myth.* I³ 16 sqq.; Voigt i. *Handbuch* IV. 2. pag. 760 sq.; Schwegler *R. G.* (v. indic. s. v. *Kumae*); Kirchhoff: *Stud. z. gr. Alph.* pag. 127 sqq. Hehn: *Culturpflanz. u. Haustiere* pag. 92.

varii generis mores et instituta: a Cumanis etiam leges illas esse desumptas admodum videtur probabile.*)

Neque mirum Romanos, cum domi eandem luxuriam quam graecis in urbibus increbuisse animadverterent, ut illam reprimerent, leges alibi contra eundem sumptum perlatas recepisse: similes mores ut similes leges ferrentur, efficiebant.

Illud nimirum nescimus atque semper nesciemus, num hae leges decemvirorum demum tempore receptae sint, an iam antecedente aetate viguerint,**) id certum est non per legatos eas esse translatas, nisi forte litterarum quoque notas legatione missa transportasse putandi sunt.***)

Opus erat ut his de legibus, quarum similitudo primum animadversa esse videtur, quaeque omnibus maximas praebebant difficultates, primum quaereremus: cetera iam nulla opera possunt confici. Illae igitur supersunt leges, quas Gaius ad Solonem refert, quarum una est illa de actione finium regundorum, altera de sodaliciis.

Gaius l. IV ad leg. XII tab. Dig. 10. 1. 13. (id. in Auct. fin. regund. pag. 278 Lachm); VII. 2 Sch. *Sciendum est in actione finium regundorum illud observandum esse, quod ad exemplum quodammodo eius legis scriptum est, quam Athenis Solonem dicitur tulisse: nam illic ita est:* ἐάν τις αἱμασιὰν παρ' ἀλλοτρίῳ χωρίῳ ὀρύγῃ (l. ὀρύττῃ), τὸν ὅρον μὴ παραβαίνειν, ἐὰν (δὲ) τειχίον, πόδα ἀπολείπειν, ἐὰν δὲ οἴκημα, δύο πόδας· ἐὰν δὲ τάφρον (τάφον Flor.) ἢ βόθρον ὀρύττῃ, ὅσον τὸ βάθος ᾖ, τοσοῦτον ἀπολείπειν ἐὰν δὲ φρέαρ, ὀργυιάν· ἐλαίαν δὲ καὶ συκῆν ἐννέα πόδας ἀπὸ τοῦ ἀλλοτρίου φυτεύειν· τὰ δὲ ἄλλα δένδρα πέντε πόδας; quam eandem Solonis legem Plutarchus servavit. Sol. cap. 23: ὥρισε δὲ καὶ φυτειῶν μέτρα μάλ' ἐμπείρως, τοὺς μὲν ἄλλο τι φυτεύοντας ἐν ἀγρῷ, πέντε πόδας ἀπέχειν τοῦ γείτονος κελεύσας, τοὺς δὲ συκῆν ἢ ἐλαίαν

*) idem sibi persuasit Voigt: *XII Tafeln*, I. pag. 15.

**) lex illa de sumptuosa respersione iam a Numa lata esse dicitur a Plinio n. h. XIV. 12. 88: *Numae . . regis lex est: vino rogum ne respargito;* quod id unum docet, Plinii auctorem non fuisse inter eos qui hanc legem a Graecis esse translatam crederent; idem Numa de luctu minuendo legem tulisse fertur: Plut. Num. cap. 12.

***) Puchta: *Inst.* I. § 54, post verba supra allata: *. . als in der Sprache, von der noch niemandem in den Sinn gekommen ist, zu behaupten, sie sei durch Gesandschaften geholt worden.*

ἐννέα . . . Βόθρους δὲ καὶ τάφρους τὸν βουλόμενον ἐκέλευσεν ὀρύσσειν, ὅσον ἐμβάλλοι βάθος ἀφιστάμενον μῆκος τἀλλοτρίου. καὶ μελισσῶν σμήνη καθιστάμενον ἀπέχειν τῶν ὑφ' ἑτέρου πρότερον ἱδρυμένων πόδας τριακοσίους.

Plane alia est res quam in legibus supra tractatis. Quamquam hic non Solonis sed decemvirorum lex nos deficit, tamen ipsius Gai verba satis decemviros minime eadem ac Solonem sanxisse*) ostendunt; neque enim haec lex translata esse e Solone dicitur, sed ad exemplum illius scripta, quodammodo ad exemplum. Ex quibus nihil aliud sequi elucet, quam in XII fuisse legem, qua ut in Solonis lege certa quaedam intervalla in plantandis arboribus aut fossis iuxta alienum agrum ducendis etc. observanda erant praescripta — in singulis quam maximae fuisse possunt discrepantiae. Sed ut concedamus, in his quoque quaedam fuisse similia, Gai tamen coniecturam non probabimus.

Ubicumque enim homines agris colendis student, ad iura vicinorum, quae dicuntur, firmanda tali lege opus est,**) et similia ab omnibus fere legislatoribus esse lata pro certo esset affirmandum, etiamsi non Platonis disertum testimonium accederet, leg. VIII. pag. 843 e: καὶ ἐὰν πυρεύων τὴν ὕλην μὴ διευλαβηθῇ τῶν τοῦ γείτονος, τὴν δόξασαν ζημίαν τοῖς ἄρχουσι ζημιούσθω, καὶ ἐὰν φυτεύων μὴ ἀπολείπῃ τὸ μέτρον τῶν τοῦ γείτονος χωρίων, καθάπερ εἴρηται καὶ πολλοῖς νομοθέταις ἱκανῶς, ὧν τοῖς νόμοις χρὴ προσχρῆσθαι καὶ μὴ πάντα ἀξιοῦν . . . τὸν μείζω πόλεως κοσμητὴν νομοθετεῖν.

Neque Solo hanc legem ut novam tulisse putandus est, neque similia praecepta in ionicis Campaniae urbibus, quae agriculturae potissimum studebant***), defuisse possunt. Scimus autem Romanos oleam, de qua in illa lege sermo fuisse videtur, Tarquinio demum regnante a Graecis Campaniae

*) quod credit Voigt: *Bericht d. sächs. Ges. d. Wissensch.* phil. histor. Cl. 1873: pag. 66 sqq.

**) cfr. quae addit Plut. l. l. ad illam de oleis et ficis legem: ποῤῥωτέρω γὰρ ἐξικνεῖται ταῦτα ταῖς ῥίζαις, καὶ οὐ πᾶσι γειτνιᾷ τοῖς φυτοῖς ἀσινῶς, ἀλλὰ καὶ τροφὴν παραιρεῖται, καὶ βλάπτουσαν ἐνίοις ἀποῤῥοὴν ἀφίησι.

***) Dion. Hal. VII. 3 de Cumis: γῆν τε κατέχουσα τῆς Καμπανῶν πεδιάδος τὴν πολυκαρποτάτην.

accepisse,*) et indidem ficum Romam venisse**): ibi certe etiam legem illam invenerunt et, nescimus quo tempore, Romam transtulerunt.

In universum enim etiam illud addendum esse videtur, omnino graecas in Italia urbes eisdem fere legibus quibus ipsius Graeciae civitates esse usas, — quod de Chalcidicis quidem coloniis paucis erit explicandum. Omnes Aristotele teste legibus a Charonda latis utebantur; Ar. pol. II. 12. pag. 1274 a: νομοθέται δ' ἐγένοντο Ζάλευκός τε Λοκροῖς τοῖς Ἐπιζεφυρίοις, καὶ Χαρώνδας ὁ Καταναῖος τοῖς αὐτοῦ πολίταις καὶ ταῖς ἄλλαις ταῖς Χαλκιδικαῖς πόλεσι ταῖς περὶ Ἰταλίαν καὶ Σικελίαν. — Charondas autem ἐπισκεψάμενος τὰς ἁπάντων νομοθεσίας ἐξελέξατο τὰ κράτιστα καὶ κατέταξεν εἰς τοὺς νόμους (Diod. XII. 11), neque esse, quod eius proprium dici possit, idem Aristoteles (l. l.) indicat:***) Χαρώνδου δ' ἴδιον μὲν οὐδέν ἐστι πλὴν αἱ δίκαι τῶν ψευδομαρτυριῶν. πρῶτος γὰρ ἐποίησε τὴν ἐπίσκηψιν.

Quod quoniam scimus, non miramur, si eaedem leges tam multis in urbibus valuisse dicuntur: rursus est afferendus Aristoteles (l. l. pag. 1274 b.): ἐγένετο δὲ καὶ Ἀνδροδάμας Ῥηγῖνος νομοθέτης Χαλκιδεῦσι τοῖς ἐπὶ Θρᾴκης, οὗ περί τε τὰ φονικὰ καὶ τὰς ἐπικλήρους ἐστίν· οὐ μὴν ἀλλ' ἴδιόν γε οὐδὲν αὐτοῦ λέγειν ἔχοι τις ἄν. Rheginis autem Charondam leges tulisse et ex Aristotelis verbis supra allatis efficitur, et identidem expressis verbis traditur*****): Charondae igitur leges Androdamante auctore a Thraciae urbibus receptas esse sequitur, et iterum nihil in illis fuisse proprii additur. Eisdem legibus Mazacenos Cappadociae in urbe usos esse tradit Strabo, XII. 9. pag. 539: χρῶνται δὲ οἱ Μαζακηνοὶ τοῖς Χαρώνδα νόμοις, αἱρούμενοι καὶ νομῳδὸν ὅς ἐστιν αὐτοῖς ἐξηγητὴς τῶν νόμων; — idem de Coa insula ex Herondae mimiambis didicimus: II. 46. sqq.

ἐπὴν δ' ἐλεύθερός τις αἰκίσῃ δούλην
ἢ ἑκὼν ἐπίσπῃ, τῆς δίκης τὸ τίμημα
διπλοῦν τελείτω. Ταῦτ' ἔγραψε Χαιρώνδας

---

*) Hehn. l. l. pag. 92.

**) Hehn. l. l. pag. 81.

***) Diodorus contra l. l. πολλὰ δὲ καὶ ἴδια παρεπινοησάμενος.

*****) cfr. Fabric.-Harl. *bibl. graec.* II. pag. 10 sq.

ἄνδρες δικασταί, κοὐχὶ Βάτταρος χρήζων
Θαλῆν μετελθεῖν· ἣν θυρὴν e. q. s.*)

Nec non denique ad Athenienses Charondae leges valuisse videntur, si modo recte sunt tradita, quae legimus apud Athen. XII. pag. 619 b.: ᾔδοντο δὲ Ἀθήνησι καὶ οἱ Χαρώνδου νόμοι παρ' οἶνον, ὡς Ἕρμιππός φησιν ἐν ἕκτῳ περὶ νομοθετῶν. (*F. H. G.* III. 37)**). —

Ad eundem finem perducit, quod supra de Cumanorum funerali lege statuimus, etiam ex ipsius Solonis legibus quaedam ab graecis Italiae urbibus esse receptas.***)

Quae cum ita essent, si qua Romanorum lex Chalcidicorum legi****) respondebat, haec autem etiam in ipsa Graecia valebat, eum necessitate quadam ut Chalcidicis omissis Romanorum lex ex ipsa Graecia derivaretur, sequebatur.

Omisimus adhuc, quae Gaius de altera illa lege profert: l. IV. ad leg. XII. tab. Dig. 47. 22. 4; VIII. 28 Sch.; est de sodaliciis: *sodales sunt, qui eiusdem collegii sunt, quam Graeci* ἑταιρίαν *vocant. His autem potestatem facit lex pactionem, quam velint, sibi ferre, dum ne quid ex publica lege corrumpant. Sed haec lex videtur ex lege Solonis translata esse, nam illic ita est:* ἐὰν δὲ δῆμος ἢ φράτορες ἢ ἱερῶν ὀργίων, ἢ ναῦται ἢ σύσσιτοι ἢ ὁμόταφοι ἢ θιασῶται ἢ ἐπὶ λείαν οἰχόμενοι ἢ εἰς ἐμπορίαν, ὅτι ἂν τούτων διαθῶνται πρὸς ἀλλήλους κύριον εἶναι, ἐὰν μὴ ἀπαγορεύσῃ δημόσια γράμματα.

*) de quo loco Crusius: *Untersuchg. z. Herondas.* pag. 34 sqq. recte mihi videtur iudicasse.

**) Cfr. Steph. Byz. s. v. Κατάνη de eodem: ὁ διάσημος τῶν Ἀθήνησι νομοθετῶν.

***) Solonis leges eo facilius recipi potuerunt, quod Atheniensium haud pauci his in urbibus consederunt. Neapolim Athenienses coloniam misisse testatur Strabo V. 4. 7. pag. 377: μετὰ δὲ Δικαιάρχειάν ἐστι Νεάπολις Κυμαίων. ὕστερον δὲ καὶ Χαλκιδεῖς ἐπῴκησαν καὶ Πιθηκουσσαίων τινὲς καὶ Ἀθηναίων· ὥστε καὶ Νεάπολις ἐκλήθη διὰ τοῦτο. de Cumis cfr. Beloch: *Campanien* pag. 145 sq.

****) Quae nos ex ipsius Charondae legibus servata habemus cum nulla decemvirorum lege consentire, iam Cosman l. l. pag. 65 sq. recte monuit. Ut Zaleuci lex apud Polybium XII. 16. 4. cum Romanorum lege congrueret rei natura ferebat.

Facilius etiam haec possunt refelli: vides Gaium ne hanc quidem legem ut certe translatam commemorare, — *videtur ei translata esse* — ea scilicet de causa, quia utraque sodalibus ius legum sibi ferendarum dabatur, cavebatur autem, ne quid ex publica lege corrumperent. Neque tamen leges plane consentiebant: decemvirorum lex in universum de sodalibus erat lata, Solo singula sodaliciorum genera enumerasse videtur — neque hoc ut praeciperent, Graecorum exemplo Romanis erat opus.

Collegia sacrorum quidem gentiliciorum et opificum inde ab antiquissimis temporibus Romae erant instituta, omnibusque antiquis temporibus ius coeundi fuit concessum,*) neque quominus privatim leges sibi ferrent, prohiberi poterant. Quod autem additur: *dum ne quid ex publica lege corrumpant,* id maxime quidem est e natura: est enim summa regula iuris, ius publicum pactis privatorum mutari non posse, ita ut illud adici ne necessarium quidem fuerit.**) Nihil igitur mirum, si simile quid a Solone — et sine dubio non ab uno Solone***) — erat praescriptum: Gaio accidit, quod nostrae aetatis permultis, ut quod esset simile, translatum esse statueret.

Itaque ut hac lege missa ad ceteras redeamus, haud ita multum a vero aberravit Dionysius, cum legatos illos graecas quoque in Italia urbes adisse Valerianae traditioni adiungeret,****) neque plane erraverunt, qui leges quasdam e Solone translatas esse statuerent: legatos quidem ad leges transferendas Romani non miserunt, leges quasdam a Graecis acceperunt haud aliter ac litteras voces deos etc. — dubium sane, num decemvirorum

*) cfr. Mommsen: *de collegiis et sodaliciis Romanorum.* Kiel 1843. pag. 1 sqq.

**) Mommsen. l. l. pag. 36.

***) cfr. Thalheim: *griech. Rechtsaltert.* pag. 95: *die solonische und gewiss nicht bloss auf Attica beschränkte Verordnung.*

****) num quid simile Symmachus (ep. X. 25) in animo habuerit, cum Zaleucum a Romanis civitate donatum esse scriberet, nescio; neque tamen assentior Gerlachio (*Zal. Char. Pythag.* Basel 1858, pag. 56) qui Symmachum Hermodori et Zaleuci nomina contudisse putat, neque video quomodo ille error e Ciceronis verbis (de leg. II. 6. 15.) ortus esse possit (Fabr.-Harl. *bibl. graec.* II. pag. 5. s. l. *d.*)

demum tempore — neque tamen Athenis, sed ab ionicis Campaniae urbibus, antiquitus sibi omni commercii genere coniunctis.

Nimirum quod ipsae illae leges nobis servatae sunt, casu factum est, neque negari potest, alias quoque fortasse paucas exstitisse graecis legibus ita similes, ut translatas eas esse fuerit concedendum: sed postquam unde translatae sint, vidimus, quot sint translatae, nihil ad rem. —



Vita.

Natus sum Fridericus Carolus Otto Theodorus Boesch Mindeni Guestfahlorum in oppido anno h. s. LXXI mensis Junii die sexto decimo patre Carolo, matre Elisabeth e gente Zechlin, quos adhuc superstites esse magnopere gaudeo. Fidem profiteor evangelicam. Anno LXXII cum parentibus in Arolsen urbem transmigravi ibique suo tempore adii ludum litterarium scholamque, quae vocatur: Real-Progymnasium, quae patre florebant rectore, usque ad classem tertiam. Autumno anni LXXXIII in Almae Matris Ilfeldensis discipulos receptus sum, in qua professoris munere fungitur pater, ibique Gustavi Schimmelpfeng directoris, Rudolfi Mücke professoris usus sum scholis, quibus multum me debere libenter profiteor. Maturitatis testimonio instructus vere anni LXXXIX Gottingam petii, ut studiis philologis et theologicis operam darem. Anno peracto Bonnam me contuli ibique per bis sex menses moratus sum. Sed Gottingae desiderio impulsus vere anni XCI ad hanc almam litterarum sedem redii, cuius usque ad hunc diem sum civis, Carolo Dilthey duce etiam archaeologicis studiis deditus.

Docuerunt me viri doctissimi: Bratke, Buecheler, Elter, Klein, Lemme, Usener, Bonnenses; Bousset, Dilthey, Gercke, Knoke, Leo, G. E. Mueller, Sauppe, Schultz, Smend, Tschackert, Volquardsen, Weiss, Wiesinger, de Wilamowitz, Gottingenses.

Ad exercitationes archaeologicas Dilthey, epigraphicas Klein et de Wilamowitz, philologas Buecheler et Leo, theologicas Bousset et Weiss benigne aditum mihi concesserunt.

Regii philologorum proseminarii Gottingensis sodalis fui per duo semestria, Bonnensis per unum, seminarii philologorum Bonnensium sodalis ordinarius per sex menses, Gottingensium per ter sex menses.

Omnibus illis viris, qui me docuerunt, iustas ac debitas habeo gratias, quam maximas vero Friderico Leo et Udalrico de Wilamowitz, qui quanta semper erga me fuerint benevolentia, quantaque humanitate me inde a studiorum initiis omnibus in rebus opera et consilio adiuverint, nisi qui ipse expertus est, aestimare nequit.

Philologorum Bonnensium et Gottingensium sodaliciis, quae vocantur: Klassisch-philolog. Verein, inde a studiorum primordiis me fuisse sodalem semperque fore ingratus essem, ni profiterer.



Index.




AH 7200.16
De xii tabularum lege a Graecis pet
Widener Library 004490434
3 2044 080 865 926